Reuter, Ernest

De Aviéni Hexametrorum Re Metrica

DE AVIENI HEXAMETRORVM RE METRICA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTVS REVTER

BONNENSIS

PROMOTVS DIE XXIX MENSIS IVLII ANNI MCMIX

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

MCMIX

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM RETTVLIT

FR. MARX

FRIDERICO MARX

PROOEMIVM.

Apuleio mortuo scriptores Romani virtute ingenua et ingenio feraci praediti non iam exorti sunt; quorum in locum paulatim scriptores christiani successerunt. atque res sanctae, ut primum prosa oratione disserebantur, ita quarto iam saeculo versibus defendi atque describi coeptae sunt. illa enim aetate carmina quaedam minora componebantur, quae sine auctorum nominibus ad nos pervenerunt; quae inscribuntur: laudes Domini[1]), de Sodoma et, quod eiusdem est auctoris, de Iona[2]), versus scripti ad senatorem quendam ex Christiana religione ad idolorum servitutem conversum[3]), contra Nicomachum, quod dicitur, sive contra paganos[4]), nec non quinque libri adversus Marcionem[5]) confecti. circa annum 330 C. Vettius Aquilinus Iuvencus Hispaniensis quattuor libros evangeliorum[6]) metro heroico composuit, medio fere saeculo Hilarius Pictaviensis et Ambrosius Mediolanensis carmina lyrica confecerunt, Damasus papa epigrammata[7]) composuit a Philocalo in sepulcris christianorum venuste exarata. deinde sub annum fere 400 Aurelius Prudentius Clemens[8]) carminibus suis poesin christianam ad summam perfectionem perduxit.

Illa aetate, qua litterae christianae tantopere effloruerunt,

---

1) ed. W. Brandes, Über das frühchristliche Gedicht „Laudes Domini", Braunschweig 1887.

2) ed. Peiper, in C. S. E. L. XXIII p. 212, 221, qui p. XXVII illa carmina saeculo quinto attribuit.

3) ed. Peiper ibid. p. 227.

4) ed. Baehrens, in P. L. M. III p. 287.

5) ed. Oehler, in edit. Tertulliani II p. 781.

6) ed. C. Marold, Lipsiae 1886.

7) ed. Max. Ihm, Lipsiae 1895.

8) ed. Alb. Dressel, Lipsiae 1860.

prisca species litterarum Romanarum plane iacebat. Publilius Optatianus Porfyrius[1]) carminibus ineptissimis, quae figurata appellantur, Constantinum imperatorem celebravit. grammatici vero, qui poetas veteres magno cum studio in scholis tractabant, eo contenti erant, ut res metricas et grammaticas vastis atque aridis artibus disponerent atque enarrarent. quae cum ita essent, posteriore in parte quarti saeculi Romae quidam viri nobilium generum extiterunt, qui cum prisca religione priscas litteras restituere et a christianorum impetu defendere conarentur, Symmachos dico, et Nicomachos, Servium, Macrobium, alios. eadem studia secuti poetae quidam valde operam dederunt, ut veterum poetarum auctoritatem atque artem restituerent. horum in numero sunt Rufius Festus Avienus[2]), Symphosius[3]), Avianus[4]), Rutilius Namatianus[5]); summam vero elegantiam Claudius Claudianus[6]) adeptus est.

Sed hi viri, etsi veterem illam gloriam restituere non potuerunt, tamen de litteris bene meriti sunt. nam poetae quinti saeculi, qui plerique sunt christiani, fructum ex illorum studiis ceperunt. praecipue in Gallia magnus numerus poetarum extitit, quorum clarissimus est Ausonius[7]), qui quamvis fuerit christianus, priscarum litterarum studiosissimus erat. huius discipulus, Paulinum[8]) dico, qui Burdigalae natus postea episcopus Nolanus factus est, artem suam plane ad res sanctas celebrandas contulit.

Avienus[9]), qui Volsiniis in oppido Etrusco natus veteri religioni deditus erat, multos honores adeptus Romae cum suis magna auctoritate floruit. tria carmina eius didactica ad nos

1) ed. Luc. Müller, Lipsiae 1877.

2) ed. Alfr. Holder, ad Aeni Pontem 1887, quam editionem in carminum numeris (II Aratea, III descriptio orbis, IV de ora maritima) et in versibus afferendis secutus sum.

3) ed. Baehrens, in P. L. M. IV p. 364.

4) ed. Baehrens, in P. L. M. V p. 35.

5) ed. Baehrens ibid. p. 4.

6) ed. Koch, Lipsiae 1893.

7) ed. Peiper, Lipsiae 1886.

8) ed. Hartel, in C. S. E. L. XXIX; XXX.

9) de eius genere, vita, carminibus cf. Fr. Marx, in Pauly-Wiss. R. E. II p. 2386—91.

pervenerunt, quibus Arati phaenomena et prognostica[1]), Dionysii librum cui inscribitur *περιήγησις τῆς οἰκουμένης*[2]), auctoris alicuius ignoti descriptionem orae maritimae in latinam linguam transtulit. quanta vero gratia haec carmina apud antiquos floruerint, inde intellegitur, quod Cicero[3]), Germanicus[4]), Gordianus imperator eadem Arati carmina, Priscianus[5]) Dionysii librum in sermonem latinum verterunt. praeterea Avienus descriptionem Ponti, quae in librum de ora maritima compositum iniuncta erat, ex Sallustio petivit[6]). Vergilii etiam fabulas et totum Livium eum iambis scripsisse Servius (in Aen. X 272; 388) affirmat.

Quod cum videamus Avienum nihil nisi aliorum libros esse secutum, non credemus eum poetam fecundi ingenii fuisse. nempe id tantum sibi proposuit, ut priscorum poetarum libros in novam formam redactos nova quadam auctoritate servaret atque augeret. deinde vero in veterum poetarum rebus describendis eorundem elegantiam artis metricae et prosodiacae restituere conatus est, quae novis licentiis poetarum christianorum cesserat. itaque si cognoscere nobis in animo est, quomodo Avienus de litteris illius aetatis meritus sit, quaerendum erit, quantopere ars eius a veterum poetarum arte pendeat, quae ratio inter eum et aequales intercedat, quibus rebus recentioribus poetis praestiterit has quaestiones aggressus Avieni artem metricam versus hexametri describere nec non cum ceterorum poetarum arte comparare conatus sum.

De nonnullorum poetarum illius aevi re metrica a viris doctis iam antehac actum est. scripserunt de eadem quaestione:

Manitius, Zu Juvencus und Prudentius, in Mus. Rhen. XLV p. 485, (de Damas prosodiia,) ibid. p. 316.

Franciscus Krenkel, de Aurelii Prudentii Clementis re metrica, Rudolstadii 1884 (Krenkel)[7]).

1) ed. E. Maass, Berol. 1893.
2) ed. E. Müller, in G. G. M. II p. 102.
3) ed. Baehrens, in P. L. M. I p. 3.
4) ed. Baehrens ibid. p. 148.
5) ed. Baehrens ibid. V p. 275.
6) cf. Av. IV 32.
7) uncis inclusa signa, quae adhibebo, adscripsi.

Nicolaus Daigl, Avienus. Studien über seine Sprache, seine Metrik und sein Verhältnis zu Vergil, diss. Monac. Erlangenis 1903[1]) (Daigl).

Theobaldus Raehse, de re metrica Ausonii, Rostochii 1868 (Raehse).

Adalbertus Huemer, de Pontii Meropii Paulini re metrica, Vindob. et Lips. 1903 (Huemer).

Felix Ramorino, Errori di prosodia nelle opere letterarie dei bassi tempi, in Memorie della reale accad. di Torino, Serie II tom. XLIII (1893) p. 169 (Ramorino).

praeterea complurium poetarum editiones indice metrico instructae sunt.

In universum de hexametri legibus egerunt:

Lucianus Müller, d. r. m., Petrop. et Lips. (1861) 1894 (Müller).

Theodorus Birt, ad historiam hexametri latini symbola, Bonnae 1876 (Birt).

Guilelmus Meyer, Zur Gesch. des griech. und lat. Hexameters, in Sitzgsb. der Bayr. Ak. 1884 p. 979—1089 (Meyer).

idem, Über die weibl. Caesur des klass. lat. Hexameters und über lat. Caesuren überhaupt, ibid. 1889 p. 228.

Isidorus Hilberg, Vorläufige Mitteilungen über die Tektonik des lat. Hexam., in Verhandlungen der 39. Phil.-Vers. in Zürich 1887, Lips. 1888 p. 232 (Hilberg).

Franciscus Sylla, qua ratione poetae vet. Rom. in hexametro sensus interstitium collocaverint, Vratislav. 1906 (Sylla).

De Avieno egerunt:

Kosten, de Avieno Dionysii interprete, Bonnae 1888 (Kosten).

---

1) In hoc libello primum de Avieni re grammatica et de vocabulis ab eo adhibitis quaeritur (p. 6—21). deinde satis multi loci colliguntur, quos ille a Vergilio et Ovidio mutuatus est (p. 21—27); sed loci gravissimi negleguntur velut versus II 194, 398, 407, 675, 1107, 1159, 1485, 1664, 1669, 1828, III 1393 (cf. huius diss. p. 35, 18, 78, 35, 75, 13 sq., 47; versus II 1159 et 1664 secundum Verg. ge. I 370, versus II 398 et 1828 secundum Verg. ge. II 517 formati sunt). singulas quaestiones metricas et prosodiacas aggressus (p. 27 sqq.) Daigl vix unam ad finem perduxit. quae Avieni propria sit natura, quomodo a ceteris poetis differat, non discimus.

Paulus de Winterfeld, de Rufi Festi Avieni metaphrasi Arateorum recensenda et emendanda, Berol. 1895 (Winterfeld, diss.).

idem, Beiträge zur Quellen- und Textkritik der Wetterzeichen Aviens, Berol. 1896 (W. Beitr.).

Quae commentationes praeterea mihi usui erant, singulas suo quoque loco commemorabo.

De prosodia.

Caput I. De o littera finali correpta.

De grammaticorum praeceptis.

Littera o, quae est finalis nominativi singularis substantivorum, primae personae verborum, imperativi, quorundam adverbiorum, ablativi gerundii, iam Catulli aetate paulatim corripi coepta, inde ab altero p. Chr. n. saeculo ab omnibus correpta habetur[1]. etiam grammatici latini eam corripi docent paucis tantum eorum locis exceptis, qui ex prioribus fontibus fluxerunt.

Producitur vero in commentatione de ultimis syllabis inscripta (G. L. IV p. 219), quae M. Valerio Probo attribuitur, p. 220, 18; 223, 19; 239, 27; 252, 19 et a Diomede (G. L. I p. 299) p. 432, 13; 492, 30; 493, 17.

Ceteri grammatici nec non auctor commentationis de ultimis syllabis et Diomedes reliquis locis o litteram ubique correptam esse, necessitate tantum nonnumquam produci volunt: auctor commentationis de ult. syllabis p. 220, 32; 236, 6; 237, 10; 257, 12; Marius Plotius Sacerdos, de catholicis (G. L. IV p. 3), quae commentatio falso Probi dicitur[2], p. 5, 30; 32, 8; 9, 31; de institutis artis grammaticae, de metris (G. L. VI p. 427)

1) cf. Müller p. 314—318; Bednara, in Arch. f. Lex. XIV p. 332.
2) cf. Keil, in G. L. VI p. 422.

p. 475, 22; Diomedes p. 469, 21; 34; 348, 36; Charisius (G. L. I p. 7) p. 63, 8; 16, 20; Marius Victorinus (G. L. VI p. 3) p. 28, 8; Victorinus (G. L. VI; ars grammatica p. 187, de metris et de hexametro p. 206) p. 193, 6; 207, 12; 208, 11; auctor commentationis de finalibus metrorum (G. L. VI p. 229), quae non recte Maximo Victorino attribuitur, p. 231, 6; 236, 20; Servius (G. L. IV; in Donatum p. 405, de finalibus p. 449, de centum metris p. 456) p. 437, 23; 451, 27; 460, 31; 462, 21; 464, 24; in Aen. IV 413; VI 104; Sergius (G. L. IV p. 475) p. 481, 5; Pompeius (G. L. V p. 95) p. 118, 5; 232, 16; Phocas (G. L. V p. 410) p. 413, 8; Dositheus (G. L. VII p. 376) p. 378, 8; Maximus Victorinus (G. L. VI p. 216) p. 225, 4; Censorinus qui dicitur (G. L. VI p. 607) p. 611, 5; 15; auctor fragmentorum Bobiensium (G. L. VI p. 620) p. 625, 8.

De Avieni consuetudine.

Avienus consuetudinem illius aetatis secutus o litteram finalem ubique corripuit. substantiva cretica vel quae in creticum desinunt, ter in quarto, deciens in quinto pede leguntur: II 10 *concretio*, 31 *discretio*, 1430 *inlisio*; 30, 85, 1302 *inclinatio*, 192 *impressio*, 250 *metatio*, 262 *contagio in*, 300 *discretio*, 868 *miseratio*, 1390 *indignatio*, III 397 *insinuatio*. talia vocabula medio versui iambico minus conveniunt; quare in carmine IV syllaba ancipiti in versu exeunte ponuntur: 74 *intimatio*, 324 *munitio*, 202 *inclinatio est*, 397 *insinuatio est*.

Vocabula iambica quinque, spondiaca sex inveniuntur: II 140, 201 *draco*, quod vocabulum in versu 201 in elisione positum est, II 395, 964, 1046 *leo*; 157, 538 *ordo*, 380 *Iuno*, 853 *cardo*, 1752 *caligo inhibet*, III 954 *virgo*. in carmine IV occurrunt: 117, 383 *Himil*[1]*cŏ*, 412 *Himil*[2]*co*, 230, 237, 388 *cali*[1]*gŏ*, 519 *Tarraco oppidum*.

Vocabula anapaestica ultima correpta in versu collocanda poetis illius aetatis difficultates afferunt. tale vocabulum Avienus octiens in elisione aut ante verbum *est* posuit: II 5 *statio hic*, 362, III 71, 115, 446, 1063, 1359 *regio est*, 502 *regio insurgentibus*. vocabulum *regio* etiam in quarto carmine quinquiens legitur, his quidem in sedibus versus: 231 *regio*

om^{1}*nis,* 432, 622 *re*^{3}*giŏ,* 484 *re*^{4}*gio,* in versu 300 ineunte: *regio rece*^{2}*dit.* hoc loco *regio* vocabulum aut anapaestice o littera producta, aut tribrachyce media acuta legendum est. sed litteram o productam statuere dubitabimus, cum videamus poetam in hoc vocabulo, quod praeterea 11^{iens} occurrit, semper magno cum studio hanc licentiam vitavisse. alia ex parte vocabuli tribrevis mediam syllabam acuere apud Romanos plane inauditum est. tamen Avienus hanc licentiam sibi sumpsit[1]) in versibus ineuntibus 368 *agére,* 553 *popúlus,* 606 *capíta,* 104 *acéreve norunt*[2]), 628 *Ligúres,* 701 *Salýes*[3]). in versu 313 exeunte traditum est: *per stadía modo,* Müller (p. 172) scribere vult: *per stadia ammodum,* quia quintam thesin[4]) solvere non liceat. invenitur tamen in versibus exeuntibus 182 *Cépresicum,* 335 *tenúe fretum,* quorum illum Müller nomine proprio excusari vult, in hoc vocabulum *tenue* iure positionis anapaestum fieri. tamen non solum vocalem finalem correptam ante mutam et liquidam consonantes Avienum numquam produxisse, sed ne in medio quidem vocabulo syllabam brevem ante tenuem et liquidam positam producere solitum esse, p. 34 videbimus[5]). itaque mihi persuaderi non potest, illud *tenue* anapaestum explere, sed illum poetam credo, qui in primo pede vocabulorum tribrevium mediam acuere ausus est, eandem licentiam etiam in quinto pede facile adhibere potuisse. eodem modo in versu 313 *per stadía modo* recte traditum est. neque iam dubito, quin in versu 300 ineunte vocabuli *regio* ultima corripienda, media acuenda sit[6]).

---

1) cf. Fr. Marx, in Pauly-Wiss. R. E. II p. 2389.

2) ita Nonius, codd.: *facere morem.*

3) talium enim nominum nominativum pluralem, qui in *es* syllabam desinit, Avienus semper ultima correpta usurpavit. cfs. velim versus IV 302, 464, 485, 550, II 112, 604, 793, 1806, III 574, 595, 658, 704, 712, 1366.

4) thesin dico pedis partem accentu elatam, arsin voce remissa pronuntiatam.

5) neque putabimus exemplum Catulli huic versui subesse, qui scribit (IV 18):

et inde tot per impotentia freta
erum tulisse.

6) cf. Auson. eph. 184 *veníat,* Prudent. perist. X 675 *genéra* (versibus ineuntibus).

Antequam de versu II 1669 agere instituo, ostendam etiam in verbis et adverbiis o litteram finalem corripi. legitur enim II 2 *linquo Iove et*, 424 *esto memor*, III 1046 *cordi dato.*

Semel tantum o littera in arsi produci videtur (II 1320); legimus enim (II 1314—1322):

quid nunc nascentis suspectat navita ponto
agmina prima Padi caelo tum fervere aperto
vicinasque faces rutili manet Orionis?
curricula ut solers vero mox indice discat
certa tenebrarum possitque fideliter astro
explorare notos et tuto carbasa ponto.
credo, ni desit magnorum congrua cura,
prompta via est ipso cognoscere talia semper
praeceptore Jove e. q. s.

sed id quod legitur (1319): *ut possit tuto carbasa ponto* prorsus nihil est. desideratur enim aliquis infinitivus, qui simili modo atque infinitivus *explorare* pendeat a *possit* vocabulo. in versu sequente legimus *credo* o littera in arsi producta, id quod illa aetate cum apud ceteros poetas tum apud Avienum poetam diligentissimum plane inauditum est[1]). accedit quod sententia sequens *prompta via est* per se stat, ita ut illud *credo* abundet. itaque *credere* scribendum est, qui infinitivus sententiam antecedentem perficiat. re vera ita in libro archetypo codicis Ambrosiani legebatur, in quo extat *crede* ante lacunam. praeterea quantopere Avienus distinctionem post primum pedem spondiacum positam abominatus, quanto studio sententiam post primum dactylum finitam sectatus sit, p. 58 videbimus. — deinde editores versibus 1317—1319 responsum contineri voluerunt, quod ad interrogationem antecedentem pertineat. sed haec sententia coniunctione *ut* instituta non habet unde pendeat. aliter vero esse distinguendum, ex Arati versibus discimus, qui scribit (728):

ἤδη καὶ Ποταμοῦ πρώτην ἁλὸς ἐξανιοῦσαν
καμπὴν ἐν καθαρῷ πελάγει σκέψαιτό κε ναύτης
αὐτὸν ἐπ' Ὠρίωνα μένων, εἴ οἵ ποθι σῆμα
ἢ νυκτὸς μέτρων ἠὲ πλόου ἀγγείλειεν·
πάντη γὰρ τά γε πολλὰ θεοὶ ἄνδρεσσι λέγουσιν.

1) cf. p. 16.

itaque Avieni versus hoc modo scribendi et distinguendi erunt:

quid? nunc nascentis suspectat navita ponto
agmina prima Padi caelo tum fervere aperto
vicinasque faces rutili manet Orionis,
curricula ut solers vero mox indice discat
certa tenebrarum possitque fideliter astro
explorare notos et tuto carbasa ponto
credere. ni desit magnorum congrua cura[1]),
prompta via est ipso cognoscere talia semper
praeceptore Jove e. q. s.

cf. etiam versus 1377—1381 horum simillimos:

hoc petat ut fontem, unde et duxit tempora lunae
navita, quo longum facili rate curreret aequor,
et quo ruris amans telluri farra parenti
crederet; ingenti petat haec indagine semper
seu qui vela salo, seu qui dat semina terrae[2]).

Adverbium *ergo* 9iens in elisione aut versu exeunte ponitur, quinquiens ultima correpta usurpatur (III 263, 299, 358, 1176, IV 24). qua mensura ultima syllaba adverbii *porro* utatur, omnibus locis, quamquam 26iens occurrit, in ambiguo relinquitur. ablativus gerundii bis ante vocalem productam eliditur (II 1072, IV 167).

Restat ille versus II 1669

saevus Riphaeis aquilo crepitabit ab oris.

ita legitur in edit. princ.; cod. Ambr. tradit *trepidabit*. cum Avienus o litteram omnibus ceteris locis corripuerit, quaeritur num hoc loco satis valida causa licentiae reperiatur. difficultas vero vocabuli anapaestici ultima correpta in versu collocandi, quam poeta alibi tam diligenter superavit, ne hoc quidem loco veniam praebet. neque umquam Avienus ut aequales sibi permisit, ut sola thesis vi syllabam correptam produceret; nam de illis versibus II 266 et 407 quid sit putandum, p. 18 vide-

---

1) Grotius adnotat: Hellenismus, pro *cura congrua rebus magnis*.

2) ita hos versus scribit Winterfeld (diss. p. 23 sq.); in codicibus deest *petat* (1377); editores scribunt: *hic est fons, unde et deduxit* et: *quom* (1378 et 1379).

bimus. neque ullo modo arbitrari licet, vi consonantium tenuis et liquidae, a quibus sequens vocabulum incipit, syllabam ultimam vocabuli *aquilo* produci[1]). itaque aut versum corruptum esse putabimus, aut Avienum solo exemplo Vergilii adductum, cuius versum ge. III 196 imitatus est, regulam illius aetatis migrasse. ille enim scribit:

qualis hyperboreis aquilo cum densus ab oris
incubuit[2]).

Litteram o finalem nominum graecorum Avienus semper produxit hac in re cum aequalibus et grammaticis consentiens[3]): II 254 *Callisto rutilet,* 580 *Celeno Taygeteque,* 765 *Argo rutilam,* 1250 *Argo quod.*

De ceterorum poetarum consuetudine.

Apud plerosque poetas vocabula spondiaca et imprimis cretica ultima correpta praecipue in quinto, multo rarius in primo et quarto pede leguntur. ita vocabulum creticum invenitur:

apud	in pede 1	2	4	5
Porfyrium				2iens
Iuvencum	1iens		7iens	80 „
auctorem laudum Domini			2 „	
„ carm. de Sodoma et de Iona			2 „	2 „
„ „ adversus Marcionem				1 „
Prudentium	7 „		12 „	27 „
Avienum			3 „	10 „
Symphosium			2 „	4 „
auctorem carm. de figuris	1 „	4iens		4 „
Ausonium	5 „		5 „	26 „
Paulinum Nol.				saep. quam 17
„ Petr. (I)				8iens
„ Pell.				6 „

1) cf. p. 37 et 11.

2) Paulinus Nol., qui in carmine sapphico (XVII 201) eundem Vergilii versum imitatus est, eodem modo quo Avienus pro *hyperboreis oris* scripsit *Riphaeis oris*:

quaque Riphaeis Boreas in oris
adligat densis fluvios pruinis,
hic gelu mentes rigidas superno
igne resolvis.

3) cf. Müller p. 417 sq.; Prob. de ult. syll. p. 223, 21; cathol. quae Probi falso dicuntur, p. 5, 31; 9, 33; 32, 8; Serv. de final. p. 452, 2

quorum numerorum ratio inde explicatur, quod vocabulum dactylicum suum in quinto pede locum habet, primo et quarto pedi minus convenit, ab altero et tertio pede hexametri caesurae necessitate prorsus excluditur.

Poetae illius aetatis, etsi omnes o litteram correptam habebant, non raro eam vi thesis produxerunt.

Vocabulum anapaesticum produxerunt Porfyrius bis (III 3, X 27), Damasus quater (XVIII 5, XLVIII 4, LXII 1, 5), auctor carminis LXVII Damaso attributi semel (1), auctor carminis ad quendam senatorem semel (22), adversus Marcionem semel (IV 20), Prudentius 41^{iens}, Avienus semel (II 1669), Claudianus (I, III, V, X, XXI, XXII, XXIV, XXVIII, XXXIII, XXXIV, XXXV, XXXVI, LIII) 12^{iens}, Symphosius ter (40, 264, 255[1]), auctor carminis de figuris quater (25, 37, 80, 139), Ausonius semel (prof. praef. 2), Paulinus Nol. 8^{iens}, qui praeterea quater coniunctionem *ideo* produxit[2]), Orientius (I) bis (49, 347).

Vocabulum iambicum produxerunt: Porfyrius semel (XIX 13), auctor prioris praefationis carminis Iuvenci semel (7)[3]), Damasus semel (XXXIII 13), auctor carminis adv. Marcionem 20^{iens} (16^{iens} *homo*), Prudentius 21^{iens}, Claudianus (in carminibus supra indicatis) ter (V 253, XXII 460, XXIV 358), Avianus semel (I 13 *rogo*, codd.: *rogas*), auctor carminis de figuris semel (180), Ausonius bis (Caes. mon. 35 *Nero proprii*, techn. X 20 (versu exeunte) *homo Cres*), Paulinus Nol. 11^{iens}, qui praeterea particulam *citro* bis produxit[2]), Orientius (I) semel (299 *homo fletus*).

Vocem spondiacam produxerunt auctor laudum Domini (27 *iungendo*, quem versum spurium esse Brandes (p. 17) contendit), auctor carminis adv. Marcionem 6^{iens}, qui praeterea semel vocabulum creticum in spondiacum contraxit (I 108

falsa resurrectio, mortis devictio falsa),

---

1) *resono positus* (o in altera thesi). versus 255—257 desunt in cod. γ; num Symphosius ita scripserit, valde dubito. cf. p. 20 an. 5.

2) cf. Huemer p. 8.

3) Iuvencus ipse thesis vi o litteram nusquam producit; atque hoc argumentum illis adiungere licet, quibus nisus Marold (p. VII sq.) ostendit, hanc praefationem spuriam esse.

Prudentius 11^iens^, Claudianus (in carminibus supra indicatis) 7^iens^ (XXI 81, XXIV 206, XXXV 362, 367, XXXVI 106, 304, 432), auctor carminis de figuris noviens (15, 22, 61, 87, 90, 122, 144, 174, 176), Paulinus Nol. 6^iens^, Orientius (I) semel (553 *pellendo glacialis*).

Omnibus his in versibus o littera vi alterius aut tertiae aut quartae thesis producitur; solus auctor carminis adv. Marcionem eandem litteram semel in quinta thesi (V 131), auctor carm. de figuris bis in quinta (90, 174), semel in sexta (139), Ausonius semel in sexta (techn. X 20) thesi posuit. perraro tantum o littera in arsi producitur. invenitur vero ablativus gerundii ultima producta in quarto pede positus ter apud Iuvencum (I 20, III 201, IV 487), qui hunc ablativum septiens in quinto trochaeo collocavit neque umquam thesis vi o litteram produxit, semel apud Ausonium (ecl. V 3), semel apud auctorem carminis de martyrio Maccabaeorum (107). adverbium *ergo* ultima producta in primo pede bis apud auctorem carminis adversus Marcionem (I 189, II 127), bis apud Ausonium (par. XXVI 7, prof. XXV 7) occurrit, vocabulum *virgo* apud auctorem adv. Marcionem (I 45) eundem pedem, vocabulum *rependo* in carmine Ps.-Damasiano LXXVI a (2) quartum pedem explet. quod Symphosius adverbia *ultro* et *raro* producere solet (96, 145, 243, 309), non huc pertinet.

Iam priusquam summam huius quaestionis facimus, de syllaba brevi thesis vi producta oportet quaeramus.

Caput II. De brevi syllaba thesis vi producta.

De grammaticorum praeceptis.

Notum est nonnullos poetarum sola thesis vi syllabam finalem producere ausos esse. cuius licentiae pauca tantum exempla afferam:

Verg. A. IV 64 *pectoribus inhians spirantia consulit exta,*
XII 422 *quippe dolor, omnis stetit imo volnere sanguis,*
ge. I 4 *sit pecori, apibus quanta experientia parcis,*

Prud. in Sym. I 477 *plena puellarum patribus ergastula saevi,*
II 204 *en, ego gignendi dominus ac restituendi,*
527 *difficilis operis fuit immensique laboris,*
Claud. XXII 396 *nunc aquilo, cunctis ditescant horrea ventis,*
Orient. I 149 *ad iuga panda boves cogis, ad mulctra capellas,*
in gen. 68 *vesper; puniceos spargit Aurora capillos,*
de mart. Macc. 159 *natus et attonita mente confundere coepit.*

atque uberrime Vergilius hac licentia usus est, Horatius, Tibullus, Ovidius plane fere ea abstinuerunt. recentiorum poetarum alii Vergilium, alii Ovidium secuti sunt[1]). etiam grammatici, quorum praecepta Vergilii arte nituntur, hanc rem observaverunt; sed vi thesis plane neglecta docuerunt, omnes syllabas finales breves, quae in unam consonantem desinant, communes esse i. e. et produci et corripi posse, prout necessitas postulet (Prob. de ult. syll. p. 257, 8—11; Charis. p. 13, 4; 15, 29—16, 4; Diom. p. 429, 19—27; Mar. Vict. p. 27, 11—13; 30, 4 sq.; Victorin. p. 197, 19—22; Don. p. 369, 8 sq.; Serv. in Don. p. 424, 21—28; in Aen. III 91; 464; Serg. p. 479, 6—14; auctor de final. metr. (qui falso Maximus Victorinus dicitur) p. 230, 14—17; Dosith. p. 387, 5—10; Mall. Theod. p. 587, 12—17). tamen talis syllaba saepius producta Servio non placet, qui scribit in Aen. V 467: „*dixitque* vacat *que* metri causa, et maluit perissologiam facere, quam uti communi syllaba, quae frequens vitiosa est e. q. s.“ similiter Mall. Theod. p. 587, 15. semel Vergilius syllabam finalem produxit, quae in vocalem brevem exit (Aen. III 464), quem versum nonnulli grammatici notant (Serv. in Don. p. 424, 24—28; Serg. p. 479, 10—14). sed minime talis syllaba producta placuit; scribit enim Servius ad illum versum Vergilii: „gravia *a* finalitatis ratione producitur, sed satis aspere: nam in nullam desinit consonantem e. q. s.“ hinc iam apparet grammaticos, qui syllabam consonanti tantum littera terminatam communem habebant, o litte-

1) cf. Müller p. 391 sqq.

ram finalem non secundum harum syllabarum rationem producere voluisse. sed ut omnes o litteram brevem habent, ita veteres eam produxisse notant. itaque alii hanc litteram propriam quandam speciem syllabarum communium habent (Charis. p. 16, 5—27; Mar. Vict. p. 28, 8—29, 4), alii nesciunt, utrum eam syllabis communibus, an positione productis inserant (Prob. de ult. syll. p. 257, 12—14; Charis. p. 13, 6—10; Mar. Vict. p. 30, 6—8).

De Avieni consuetudine.

Hiatus in toto Avieno prorsus non occurrit; sed A. Breysig (Hermae XI p, 252) tres versus notat, in quibus syllaba anceps inveniatur: II 407, 982, 1430, et ipse in quarto versu II 266 ex coniectura talem syllabam proponit.

Versus 1430 in editionibus veteribus (ed. Buhle Lips. 1801) legitur:

saepe superna furor illisos fulguris ignes.

sed traditum est: *saepe superne furens inlisio*, id quod idem Breysig et Holder in textum receperunt.

981 . . . *hic canis artus*
conditur extremus, hic e. q. s.

iam Morel recte scripsit *extremos*, quem postea Breysig et Holder secuti sunt.

II 406 *namque tuas aures inplebit fabula solers*
Cretaei pecoris. haec lac memoratur alumno
infudisse Jovi capra, nutrix dicta tonantis.

ed. pr.: *Crœtei pecoris*, cod. Vind.: *Cr&e ipse coris*, cod. Ambr.: *Cretę ipse choris*; Aldus: *haec*, libri: *hic*. itaque suo iure aliquis de vocabulis dubitare potest, rectene sint restituta. tamen mihi quidem recte se habere videntur. nam huic quoque versui Vergilii exemplum subest, qui scripsit (ecl. III 6):

et sucus pecori et lac subducitur agnis.

Restant versus II 265 sqq. qui leguntur in editione principe:

. . . *micat ignea late*
dextera flammam humeri flammam movet insta
inter utrumque femur.

cod. Vind.: . . . *flammã tumeri* e. q. s. (*tu* tertia manu iniunctum), cod. Ambr.: . . . *flama tamen flamam movet instar*

(ante *flamam* lacuna hiat). aliquid excidisse apparet. Breysig (l. c.), quem Holder secutus est, scripsit:

> . . . *micat ignea late*
> *dextera, flammantur umeri, flammam movet instar*
> *inter utrumque femur.*

illud *instar,* quod ex codice deterrimo recepit, significare audacissime voluit *imago* (i. e. *Arcadis*). praeterea vitium metricum in versum intulit, syllabam dico ancipitem, quale in toto Avieno prorsus non invenitur, illo quidem versu (II 407) excepto, qui venia non caret. talem coniecturam nullo modo probabimus. C. Robert (in ed. Eratosthenis catast. rell. Berol. 1878 p. 80) proposuit:

> *dextera, flammam umeri, flammam movet ulna, sed infra*
> *inter utrumque femur, qua* e. q. s.

recte scripsit *infra* meliores libros secutus, qui *insta* praebent. Winterfeld (diss. p. 12, cf. p. 9 sqq.) enim ostendit, saepius in codice Vindobonensi *s* et *f* litteras mutatas esse[1]). num cetera Robert recte restituerit dubito. nam minus apte illud *umeri* verbo plurali eget, minus etiam synalipha placet illam in sedem versus admissa: *flammam umeri.*

De ceteris poetis.

Thesis vi producitur:

apud	syllaba brevis quae desinit in				
	consonantem	vocalem positam ante consonantes			litteram o[2])
		complures	singulas	*que*	
Vergilium	34iens	0iens	1iens[3])	0iens	—
Porfyrium	4	4	5	1	3iens
Iuvencum[4])	8	5	1	0	0

1) II 36 ed. pr.: *defit*, Vind.: *desit*; 183 ed. pr.: *insaturate*, Vind.: *infaturate*; 346 ed. pr.: *succum*, Vind.: *fucū*; 736 ed. pr: *fuci*, Vind.: *suci*; cf. etiam 862, 1618, 1633.

2) haec accurate perscripta sunt p. 15 sq.

3) Vergilius praeterea 17iens particulam *que* produxit.

4) praef. 25, 27, I 26, 301, 768, II 261 (*poteris undam*), 666, IV 179; I 112 (*consulere scripto*), III 248 (*quinque plebis*), IV 53 (*aspicite scribas*), 225 (*ipse sponsus*), 584 (*vera praesagia*); 667 (*latrones hinc inde duo; sed caeca furentis*, nonnulli codd.: *duos*).

Thesis vi producitur:

apud	syllaba brevis quae desinit in consonantem	vocalem positam ante consonantes complures	vocalem positam ante consonantes singulas	que	litteram o
auctorem praefat. spur. in Iuv.	0iens	1iens	0iens	0iens	1iens
„ laudum Domini	0	0	1 1)	0	1
„ carm. de Sod. et de Iona	1	1	2	0	0
Damasum	1	1	1	5	5
Ps.-Damasum	1	0	5		2
auctorem carm. ad quend. sen. .	0	1	0	0	1
„ „ adv. Marc. . .	20	12	25	0	29
„ „ contra pag. . .	1	1	5	1	0
Prudentium	20 2)	52 3)	5	4	79
Avienum	1	0	0	0	1
Claudianum (in carminibus p. 15 indicatis)	2 4)	0	0	0	22
Symphosium	1 5)	0	0	0	3
Avianum	3 6)	0	0	0	1
auctorem carm. de ponder. . .	0	1 7)	0	0	0
„ „ de figuris . . .	0	0	0	0	14
Rutilium	0	0	0	0	0
Ausonium 8)	4	3	3	2	3
Paulinum Nol. 9)	2	2	0	0	31
Orientium 10)	3	4	1	0	4 11)
auctorem carm. in genesin, de mart. Macc., de evang. . .	24	1	8	5	7

1) 97 *nostra* (nom. plur. neutr.) *paterentur*.

2) illa syllaba brevis 18iens in s litteram, bis in aliam consonantem desinit.

3) sequuntur plures consonantes, quarum prima est *s* 39iens, quae sunt muta et liquida 13iens.

4) XXI 157 *Armenius; hic* (cf. Müller p. 406), 238 *dederis. acie*.

5) 256 *genitor est*. versus non bene traditus est; cf. p. 15 an. 1.

6) syllabae breves productae in pentametro extant (XI 6, XXV 4, 16).

7) 17 *triá dragmam*.

8) praef. I 35, par. VIII 17, epist. VIII 35, XXII 46; techn. X 7, dom. III 4, ecl. XI 1; praef. I 35, techn. VIII 8, Caes. mon. 24; epist. XIX 22, epigr. XXIII 2.

9) XIX 190, XXVI 338; XV 81, XXVII 508.

10) I 149, 192, 218; 31, 118, 502, II 254; 308 *nisí quam* (cf. Or.

Primum observatur multos poetas cum grammaticis in brevibus finalibus producendis non consentire. hi enim eas tantum syllabas, quae in consonantem exeunt, communes habent. quam rationem secuti Avienus, Claudianus, Symphosius, Avianus, auctor carm. de fig., Rutilius syllabam, quae in vocalem desinit, productam prorsus non admiserunt, sed etiam syllabam, consonanti terminatam aut nusquam aut rarissime tantum produxerunt. omnes ceteri poetae, qui sunt christiani, neque syllabam consonanti neque vocali terminatam producere dubitabant. maximas licentias Porfyrius, auctor carm. adv. Marcionem, Prudentius, alii sibi sumpserunt; minus sibi Iuvencus et poetae Galli Ausonius, Paulinus indulserunt.

Deinde ex tabula videmus, poetas ut grammaticos in o littera producenda non eandem rationem secutos esse quam in ceteris syllabis brevibus producendis. Iuvencus enim syllabam brevem producere non dubitavit, o litteram nusquam produxit. res contraria observatur apud Paulinum Nol., praecipue apud Claudianum, apud Symphosium, auctorem carminis de figuris. quos omnes poetas putabimus veterum poetarum auctoritate nixos o litteram produxisse. pauci tantum omnino non eam productam admiserunt: Iuvencus, Rutilius, auctores quorundam carminum minorum; huc quoque Avienus referri potest.

Caput III. De erroribus prosodiacis.

De Avieni erroribus.

Rarissime tantum Avienus in quantitatibus syllabarum erravit. vocabuli **latrare** primam syllabam natura esse productam apparet ex versu Plauti (mil. 681) *oblātratrīcem*[1]). hanc syllabam Avienus semper corripuit: II 283 *cura latrantis Anubis,* quo versu Avienus Vergilium imitatus est, qui recte scripsit (Aen. VIII 698): *monstra et latrator Anubis,* Av. III 48, 578 *circumlatrat aestus,* versibus ineuntibus IV

ed. Ellis p. 260 ind. rei metr., cf. etiam Or. ed. Ludovicus Bellanger, Parisiis-Tolosae 1903 p. 160 sqq.

11) primus tantum liber in quaestionem vocatus est.

1) cf. Müller p. 384.

159 *circumlatratque*, 391 *circumlatrator*[1]). — dubitari potest, quomodo Iuvencus, qui in versu IV 535 (*circumlatrantibus*) hanc syllabam recte produxit, scandere voluerit versum IV 14

post Sadducaei hinc inde latratibus urgent.

si enim ante vocabulum *hinc* hiatum statuimus, prima syllaba vocabuli *latratibus* corripitur, si syllabam brevem *de* quartae thesis vi efferre volumus, recte se habet. semel vero simili in versu hiatus invenitur, in quo nomen proprium antecedit, *h* consonans sequitur (I 26):

nomine Iohannem hunc tu vocitare memento.

hiatur etiam in versibus I 272, IV 427. sed numquam syllaba brevis, quae in vocalem exit, thesis vi producitur, nisi complures consonantes sequuntur, excepta vocabuli *duo* ultima producta[2]). neque vitium in vocabulis *hinc inde* latere inde apparet, quod eadem vocabula quattuor aliis locis inveniuntur, ita quidem, ut *inde* trochaeum expleat (I 321, III 133, 493, IV 667). itaque persuasum habeo Iuvencum hoc loco primam syllabam vocabuli *latratibus* corripuisse.

Quasi, nisi, ego vocabula, quae poetae antiqui scaenici iambica mensura interdum usurpabant, poetae dactylici antiquitus sicuti *quia* particulam corripuerunt[3]). horum etiam consuetudinem grammatici semper fere secuti sunt: Prob. de ult. syll. p. 248, 13; 252, 8; Diom. p. 416, 9; Mar. Vict. p. 28, 24; 128, 29; Serv. de final. p. 454, 18; 25; in Aen. VI 104; auctor de final. metrorum p. 237, 15; 238, 20; auctor fgtorum. Bob. p. 626, 31; Cledon. p. 130, 12. legitur tamen in Probi quae dicitur commentatione de ult. syll. (p. 232, 15): „primae personae *ego* duabus brevibus constat, ut (A. VII 452) *en ego victa situ*, et (A. VI 72) *hic ego namque tuas s.* aliquando tamen ultima longa esse potest secundum naturam o litterae vocalis, quae frequenter in ultimo quidem produci quam corripi potest.“ huc quoque referendum esse puto id, quod legitur p. 236, 7 et quod Charisius (p. 35, 23) et Phocas (p. 414, 2) de vocabuli *duo* ultima producta dicunt.

---

1) cf. p. 36.

2) cf. p. 19 an. 4.

3) cf. Müller p. 409 sqq.; Klotz, Grundz. altr. Metr. Lips. 1890 p. 51 sq.

Poetarum scaenicorum usum nonnulli poetae recentiores receperunt. etiam Avienus miro modo *quasi* particulam semper produxit (II 555, 567, 1467, 1569, 1656, III 1231, IV 229, 630). particula *nisi* non occurrit. Paulinus Nol. particulam *quasi* 62^{iens}, *nisi* 15^{iens} corripuit, sed praeterea illam octiens (XV 133, XVIII 149, 383, 423, XIX 638, XX 351, XXIV 656, XXV 169), hanc bis (XXIV 277, XXVIII 320) produxit[1]). particulam *nisi* praeterea semel Orientius (II 308), semel Paulinus Pellaeus (361) produxit.

Ceteras particulas Avienus recte semper corripuit. pronominis *ego* ultimam produxisse videntur auctor epigrammatis Ps.-Damasiani LXXVI a (2):

haec tibi martyr ego rependo munera laudis,

Prudentius in versu in Sym. II 227

unus ego elementa rego, nec mole laboris,

Ausonius in versu praef. I 35

cuius ego comes et quaestor et, culmen honorum.

vocabulum *duo* ultima producta occurrit apud Vergilium (ecl. V 68), Iuvencum (IV 667), Prudentium (ham. 13, 122, perist. XI 89), qui vero plerumque hanc syllabam corripiunt. particula *quia* iambum explet apud auctorem adv. Marcionem (II 250), Ausonium (prof. VIII 7).

In diducendis dativis pronominum **cui** et **huic**, quos poetae aetatis Augusti nihil nisi una syllaba pronuntiare solebant, Avienus cum aequalibus facit[2]). in versu exeunte II 206 legitur: *et cui pingui.* omnibus ceteris locis dubitari potest, utrum poeta dativum *cui* monosyllabe an pyrrichice pronuntiare voluerit (II 175, 217, 726, 1311). dativus *huic* bis duabus syllabis legitur: II 734 *urit. huic rutilos,* III 22 *finis huic Gades.* praeterea *huic* dativus in thesi pro monosyllabo ab editoribus ter ex coniectura in textu positus est:

III 183 *imminet huic late Pamphylia, subluit illic* e. q. s.

ed. pr.: *hic*, in cod. Ambr. huius vocabuli loco lacuna hiat, Schrader: *huic.* sed particula *hic*, quam iam Breysig (in Mus.

---

1) cf. Huemer p. 6.

2) cf. Müller p. 318.

Rhen. LVI p. 568) retinere voluit, particulae *illic* bene opponitur.

III 221 *huic Asia ab laevis praecingitur Europamque excipit, adversusque dehinc se Thracius artat Bosphorus et tenui vix panditur oris hiatu.*

libri: *hic*, Müller (p. 314): *huic*. haec vero recte se non habere iam Kosten (p. 38 sq.) vidit. Breysig (in Mus. Rhen. LVI p. 565) illa mutatione neglecta scribit *hic*, atque opinatur Avienum hoc loco ex Ponti parte septentrionali spectantem huius maris formam describere. sed ne ita quidem ille versus intellegitur:

hic Asia ab laevis praecingitur Europamque excipit.

poeta vero ex occidente veniens Pontum longe in orientem pertinere antea explicavit (214—220). deinde pergit: *hic* (i. e. hac in oriente parte Ponti) *Asia ab laevis* (i. e. Asiae laevum latus) *praecingitur et Europam excipit.* significat limitem Asiae et Europae; atque re vera adversus hunc limitem Bosphorus in Pontum intrat. itaque *hic* recte se habet.

III 488 *huic circa multae sola sulcant proxima gentes.*

libri: *huc*, Wernsdorf: *huic*. intellegendum est: circa Appenninum. sed *circa* praepositio cum casu accusativo coniungitur. itaque scribendum est: *hunc circa* e. q. s., id quod iam Breysig (in Mus. Rhen. LV p. 572) proposuit.

Nullus igitur versus extat, ex quo concludere liceat, Avienum dativos *cui* et *huic* tamquam monosyllaba scandisse. apud Paulinum Nol. haec vocabula et unam syllabam productam et pyrrichium et iambum efficiunt[1]).

Alia vitia prosodiaca, quae illa aetate valde increbrescebant, ab Avieno plane aliena sunt. **litteram a finalem adverbiorum** *ultra, supra, contra, circa, iuxta, citra, interea, praeterea, frustra, triginta* semper produxit, produxerunt etiam Claudianus, auctor carminis de fig. (13, 22, 31), Rutilius (I 334). corripuerunt hanc litteram: Iuvencus (IV 639 *triginta*), Damasus (XXIX 8 *postea*, XXXIII 13 *octoginta*, XLIII 2 *sexaginta*, XLVI 7 *posteaquam*; sed LVII 6 *praetereā*), auctor carminis adv. Marcionem (II 21 *contra*, I 6, III 143,

---

1) cf. Huemer p. 6.

IV 194, V 149, 193 *postea*, IV 87 *extra*, V 50 *una*; sed III 143 *suprā*, IV 94 *intrā*), auctor carminis contra pag. (54 *contra*, 67 *sexaginta*; sed 54 *frustrā*), Prudentius (perist. I 13 *frustra*, V 145 *contra*), Ausonius (praef. IV 16 *contra*, sept. sap. 56 *iuxta*, Caes. tetr. 15 *frustra*, ecl. XVI 1, 16, epist. XVI 5 *nonaginta*; littera a producitur ecl. XXVI 14, 18, Caes. mon. 12, epist. XIII 23, XIV 5, XV 35, epigr. LXXIX 8), Paulinus Nol. (XXXII 146, 238 *antea*, 98 *postea*, 44, 116 *causa*; in aliis carminibus haec littera semper producitur, illud forsitan spurium sit[1]), Paulinus Pell. (137, 186 *postea*, 308 *antea*, 318 *iuxta*, 447 *supra*).

Vocabula composita, quae in **pes** et **par** syllabas desinunt, Avienus ultima producta usurpavit (*quadrupes*[2]), *sonipes*, *par*, *dispar*). quae in *pes* exeunt vocabula corripuit Prudentius (in Sym. II 817), Ausonius (griph. 39 bis)[3]), Paulinus Nol. (XX 387, XXIII 140, XXI 309, XXXIII 132)[4]), Orientius (I 32)[5]). quae vocabula in syllabam *par* exeunt, corripuerunt Prudentius (ham. 26, 775, in Sym. I 168, perist. X 565, 949), Avianus (XI 5, XVIII 10, XXIII 8), auctor carminis de ponderibus (167), Ausonius (griph. 54)[6]).

Vocabulum **fervere** Avienus exemplum Vergilii et ceterorum secutus e littera et producta (III 782, IV 216) et correpta (II 941, 1315, III 1053) flexit; verbum *fulgere* e littera producta tantum invenitur (II 197, 1287, III 1119)[7]).

Vocabula composita verbi iacio (*obiex*, *obicio*, *abicio*, *inicio*, *conicio*, *subicio*) Avienus semper prima producta in

---

1) cf. Huemer p. 4 sq.

2) cf. p. 36 sq.

3) produxit epist. XXV 40.

4) cf. Huemer p. 5.

5) *pes* syllabam finalem Servius (de final. p. 452, 14) et auctor commentationis de finalibus metrorum (p. 233, 4) producere voluerunt, corripuit vero Sacerdos in commentatione de catholicis inscripta, ubi scribit (G L. IV p. 26, 14): „pes pedis. ex eo figurata corripiuntur et dis faciunt genetivo, alipes alipedis, sonipes sonipedis.“

6) simplicem formam *par* produxerunt auctor carm. de pond. (201), Ausonius (griph. 54); Paulinus Nol. et simplicem et compositam formam produxit (cf. Huemer p. 5).

7) de eodem usu Paulini Nol. cf. Huemer p. 6.

versu posuit [1]. recentiores poetae raro hanc syllabam corripuerunt: Prudentius (psych. 149 *abicit*), Claudianus (XXXVI 134 *subicit*), Paulinus Nol. (X 71 *abicit*) [2].

Litteram i genetivi pronominum, quam poetae aetatis Augusti modo corripere modo producere [3], Valerius Flaccus semper, Lucanus numquam [4] corripere solebant, Avienus semper corripuit (*unius, ipsius, istius, illius, alterius*). aequales Iuvencus, Prudentius, Paulinus Nol., alii eam modo corripuerunt modo produxerunt [5].

De ceterorum poetarum erroribus.

Iam cum de singulorum quarti saeculi poetarum erroribus prosodiacis agendum sit, res quas iam Ramorino colligere instituit, auctas proponere mihi in animo est [6].

Porfyrius.

syllabae breves producuntur: VIII 15 *frangere fīdei* (versu exeunte), 20 *aúctā* (nomin. fem.) *stírpe*, XV 6 *prō-págans*, XVI 27 *rāta* (versu exeunte), 38 *dispónē sceptra*, XXII 12

immanest prorsum amplexu aut tōt ocius onas.

syllabae longae corripiuntur: XIV 11 *sŭpléx*, 25 *sŭplicés*; sed XXVI 23 *súpplex*, XV 3 *nătiónum*.

hiatur 13^{iens} post thesin (II 14, V 23, VII 11, VIII 11, IX 23, XIV 1, XV 13, XVI 29, XX b 2, XXII 23, 37, XXIV 30, XXVII 13), octiens in arsi (V 21, VI 27, IX 24, XVI 27, XVIII 12, 16, XXI 11, XXIII 4).

Iuvencus.

syllabae breves producuntur: I 335 *acies lēvata securis*, cf. Matth. III 10 *iam enim securis ad radicem arborum posita est*. II 435, IV 500 *lābat* (versu exeunte), III 373 *lābát*; sed

1) cf. Müller p. 291.
2) cf. Huemer p. 17.
3) cf. Bednara, libri p. 9 an. 1 citati p. 334.
4) cf. E. Trampe, de Lucani arte metrica, Berol. 1884 p. 7.
5) cf. Huemer p. 17, Müller p. 285.
6) illa sane omittam, quae iam antea tractata ad o litteram correptam, syllabam brevem thesis vi productam, a litteram finalem adverbiorum correptam pertinent.

III 135 *lăbáre*, II 576 *prŏfanent*; sed aliis locis: *prŏfan-*, III 326 *ān istic*, IV 528 *ān ego* (versibus ineuntibus), III 181 *resipīre*, I 664 *dederītis*, IV 681 *poterīmus*.

syllabae longae corripiuntur: I 702 *adŏlátio* (in quinto dactylo), 744 *rĕpens* (a verbo *rēpo* derivatum), II 385 *mă-cerans*, III 646, IV 391 *clămóre*; sed II 408 *clāmor*, IV 14 *lătratibus* [1]), 595 *făcundia*, 643 *lŭdibria* [2]); sed 650 *lūdibria*, II 602, III 80 *ibĭdem*, IV 585 *ploratŭs* (acc. plur.).

synizesis invenitur in versu II 440 *alitér grātuíta in*.

hiatur bis post thesin, bis post arsin [3]).

Ad quendam senatorem.

syllabae breves producuntur: 26 *rísūs* (nom. sing.) *órbis*, 48 *phīlosophum*, 70 *quíd vēlís*.

spirans h consonantis munere fungi videtur in versu 33

haec tua hūmilitas ēt hūmilitatis imago est.

Laudes Domini.

17 *susciperēt ŭniens*, Areval.: *susciperetque ŭniens*, Morel et Fabric.: *susciperet veniens*.

De Sodoma.

153 *lēvés* (a *lĕvis* derivatum), 28 *spíritŭs* (gen. sing.), 149

. . . *inque picem dat terrae adhaerere marinam*,

(P: *dat terrae haerere*, V: *terris dat habere*, L codex „interpolatus": *dat terrae adherere*), hiatur in versu 51 *iuvendle habét* (codd.: *iuvenalis* vel *-les*).

De Iona.

legimus in versibus non integre traditis: 97 (v. exeunte) *fertur ratis ét vătēs alvo*, 89 *próvōlutatam* (sed cod. Paris.: *provolute avide*, Peiper: *provolventem avide*).

Damasus [4]).

syllabae breves producuntur: I 6 *prōphetam*, 12 *măle-dicum*, II 17 *prŏfundum*, X 15 *făcula* (in quinto dactylo), XV 2 (v. ineunte) *tŭmulum*, XXI 4 (v. ex.) *sénem* (Ihm:

1) cf. p. 22.
2) cf. p. 79.
3) cf p. 22.
4) cf. Ihmii indicem metricum (p. 134) atque eiusdem ad singulos versus adnotationes.

sanctum), XXVIII 3 *servárē foédera*, XXXIV 6 *ītém* (Buech.: *idem*), XL 7 *prôfusum*, XLIV 3 (v. ex.) *decôrans*, 4 *cui poenā nulla dĕiecti* (versus corruptus est), XLVI 11 (v. ex.) *prēces*[1]), IL 1 *sūb ággere*, LII 2 (v. ex.) *civémquē fratrem* (Buech.: *fatemur*).

syllabae longae corripiuntur: III 3 *făbulas*, XI 8 *fidĕ* (hunc versum Ihm a Damaso abiudicat), VII 2 *intemerată* (abl.), XIV 6 *sacrăménta*, XXIV 6 *sanctĕ* (adv.?), XXVII 6 *trănsiére*, XXVIII 1 *Sisínniŭs pónere*, XXIX 2 *rĕtulít*, XL 1 *rĕtulísse*, 2 *lŭgŭbrés*[2]), XLI 2 *cum natīs obivit*, XLVI 12 *sánctī Sătúrnini*[1]).

Ps.-Damasiana.

syllabae breves producuntur: LXXVI 1 *iăcét*, 4 *bís dŭō-denós*, LXXVI a 2 *egô rēpéndō* (in 3. et 4. pede), LXXXII 3 (v. ex.) *Damâso*, LXXXV 7 (v. in.) *dēdit égregiam*, XCIII 4 (v. in.) *cúnctūs út*, 8 (v. in.) *mīsericors*, XCVII 4 *sít pērénnis*.

syllabae longae corripiuntur: LXIII 9 *creătúra*, LXX 6 *ipsŏ*, LXXI 5 *ĕlegans*, 15 *găvisa*, 22 *sŭplicet*, LXXII 2 *hĭc*, LXXVI a 1 *dĕvotam*, LXXIX 9 *Gordiănus*, LXXXI 2 *vĕsana*, XCIII 4 *sólī clămaret*, 6 *nóbilĕs*, 7 (v. ex.) *ecclésiaĕ aulă dĕfendens*, 9 *ánnŏs amóre*, XCVI 4 *căligo*, XCIX 7 *sĭquidém*.

Adversus Marcionem.

syllabae breves producuntur: II 69 *poterītis*, III 220 *poterīmus*, II 93 *dīrimat*, III 129 *prōphetica* (huius vocabuli prima syllaba alibi corripitur), IV 146 *vōcátur*, V 6 *dēús*, 135 *dēúm*, 31 (v. in.) *quísnām érgo*, 69 *fūit*, 142 (v. in.) *ídēm* (neutr.) *hóc*, 183 *cāpít*.

syllabae longae corripiuntur: litterae finales casus ablativi *a* 20iens, *o* ter, *u* 14iens, genetivi *ae* semel, *us* bis, dativi *i* semel, infinitivi passivi *i* quater, adverbiorum *e* ter, *a* 8iens; III 185 *famĕs* (nom. sing.), 153 *hostĕs* (acc. plur.), II 186 *verităs*, quater *nefăs*, IV 48 *adhŭc*, III 97 *cornu praĕconia*,

---

1) versus 11 sq. spurios esse Ihm censet.

2) huius vocabuli mediam syllabam Horatius (c. I 24, 2; II 1, 33; III 3, 61) corripuit, Vergilius (Aen. X 273) et Ovidius (met. II 334, IV 691, VI 485) natura produxisse videntur (cf. p. 36 et 42).

II 44 *fătă*, 58 *cŭius*, IV 201 *cohaĕrere*, septiens *cŏpertus* et similia, IV 100 *docĕre*.

synizesis saepe adhibetur: I 108 *resúrrectió*, II 101 *únius*, 261 *régno deí*, III 32 *tántos deí*, V 160 *ílli deúm*, III 35 *vítae suaé*, 156 *hostiaé*; 40^iens^ vocabula, qualia sunt *dei, deo, suo, suā, suae, duos, sui, eā, dies, pio*, arsin explent, numquam tamen quintam arsin; III 116, V 174 *copéruit*, 108 *apéruit* (versibus exeuntibus).

hiatur ter post thesin (I 215, V 43, 107), quater in arsi (III 174, 195, V 31, 142).

Contra paganos.

syllaba brevis producitur: 41 *dāret*.

syllabae longae corripiuntur: 26 (v. ex.) *transáctu' sarissa est*, 110 (v. in.) *ártibu' sed*, 111 (v. ex.) *donátu' sepulchro*, 44 *collăribus*, 45 *profănare*; sed 82 (v. ex.) *profănos*, 52 *nocéndĭ*, 85 *Ăfrórum*.

synizesis occurrit in versu 118 *deabúsque*.

distrahitur in versu exeunte 57 *mutáre sŭasit*.

Prudentius.

syllabae breves producuntur: perist. I 3 *eādem* (nom. sing.), VI 98 *célsā* (nom. plur. neutr.) *scándere*, ham. 105 (v. ex.) *sua cūīque iura*, psych. praef. 58 *noverīmus*, psych. 312 *delībuta*, 401 *lácrīmábilis*, 687 *redīmitos*.

syllabae longae corripiuntur: cath. I 34 *sŏcordis*, ap. 126 *sŏcordia*, perist. X 810 *sŏcórs*, ham. 26, 775 *dispăr*, in Sym. I 168, perist. X 565 *impăr*, 949 *dispăr*, cath. III 167 *pásta cuĭ cédit*, IX 79 *lŭgubri*, ham. 322 *găneonis*, perist. VI 74 *calceămentis*, ap. praef. 31 *imbĕcillis*, psych. 105 *rŭbígo*, in Sym. I 135 *tĕmulentus*, II 45

sīc unum sectantur iter, sīc inania rerum,

per. XIII 59 *fĭo*, ham. 624 *percensĕ*, perist. V 60 *extorquĕ*, psych. 479 *famĭs*, 508 *luĭs* (nom. sing.), in Sym. II 817 *quádrupĕs*.

synizesis occurrit in versu ap. 640 *for²tuītis³*.

11^iens^ ante nomen *Iesus* in sexto pede positum consonans finalis vocabuli antecedentis neglegitur, velut ap. 222 *cognóvimus Iesum*.

in hexametris hiatur ter post thesin (in Sym. II 109, 159, 227), quater in arsi (ham. 698, psych. 494, 714, in Sym. II 510); in reliquis metris sexiens hiatur (cath. XII 50, 131, 189, per. III 134, V 133, IX 96).

Avienus.

lătrator et similia, *quasī.*

Claudianus.

—

Symphosius.

—

Avianus.

XI 5, XXIII 8 *dispăr*, XVII 10 *impăr*; hiatur in caesura pentametri XLI 8.

Rutilius.

—

Carmen de ponderibus.

167 *dispăr.*

Carmen de figuris.

28 *rēlátio* (cf. Fr. Marx ad Lucil. 1012), 11[iens] littera s finalis ante sextam thesin neglegitur, velut 13 *refléctimus dicta*, 154 *fít praeoccúrsio*, 65 (v. ex.) *deínde sŭasi.*

Iam videmus poetas christianos, qui in quantitatibus syllabarum statuendis naturam ingenii secuti sunt, prosodiam veterem plane confundisse atque perdidisse. imprimis observatur, eas syllabas productas, quae non accentu grammatico efferuntur, corripi et imminui. sunt vero primum syllabae finales nominum, verborum, adverbiorum (*-ă, -o, -ŭ, -ŭs, -i, -ae, -ēs, -ās, -īs*), quae cum ab omnibus, tum ab auctore carminis adversus Marcionem compositi laeduntur. deinde syllabae procliticae correptioni patent (Damasus: *trănsiere*; Ps.-Damasus: *dĕfendens, vĕsana*; auctor adv. Marc.: *praĕconia, cŏpertus*; Prudentius: *sŏcordia*).

Sed persaepe etiam longae syllabae primitivae quae accentus vi non sunt munitae corripiuntur (Porfyr.: *nătiónum*; Iuvenc.: *clămóre*, sed *clâmor, adŏlátio, lătrátibus, făcúndia, lŭdíbria*; de Sod.: *adhaĕrére*; Damas.: *sacrăménta, lŭgúbres, Săturníni*; Ps.-Damas.: *creătúra, găvísa, clămáret, călígo*;

adv. Marc.: *cohaĕrére*; contra pag.: *profăndre*, sed *profânos*, *Ăfrórum*; Prudent.: *díspăr*, *ímpăr*, *quádrupēs*[1]), *lŭgúbri*, *găneónis*, *calceămĕntis*, *imbĕcillis*, *tĕmuléntus*, *rŭbígo*). breves syllabae primitivae, quae accentu grammatico praeditae sunt, producuntur (Porf.: *fīdei*, *rāta*; Iuvenc.: *lābat*, sed *lăbáre*; ad quend. sen.: *vēlis*; de Sod.: *lēves*; Damas.: *fācula*, *tūmulum*, *sēnem*, *ītem*, *prēces*; Ps.-Dam.: *iācet*, *dēdit*; adv. Marc.: *dēus*, *fūit*, *īdem*, *cāpit*; contra pag.: *dāret*; Prudent.: *cūique*).

Iam ars metrica sermonis vulgaris cursum praecipitem secuta plane eversa esset, nisi extitissent, qui eam restituerent et servarent. nam poetae illi pagani Avienus, Claudianus, Symphosius, Avianus, Rutilius diligentissimo studio nixi integritatem quandam artis prosodiacae sibi pepererunt, quae priscam fere artem adaequaret. hanc artem, quae in studio posita ab arte poetarum christianorum quarti saeculi valde differt, poetae christiani quinti et sexti saeculi usurpaverunt, quorum plerique maiorem quandam vel minorem elegantiam prae se ferunt[2]).

In carminibus tantum Gallorum poetarum quinti saeculi, qui sermoni vulgari paulo magis indulserunt, prosodia magis magisque dilapsa est[3]). cuius rei velut semina iam apud Ausonium et Paulinum discipulum observantur, qui paulo plures licentias sibi sumpserint. Horum poetarum errores prosodiacos proponere liceat.

Ausonius.

breves syllabae producuntur: ecl. XXIV 13 *Regīfugium*, Caes. mon. 35 *mátrīcída*, tetr. 86 *parrīcidaé*, urb. 91 *versā Graia*, epist. XXII 84 *pālátia*.

syllabae longae corripiuntur: prof. VII 39 *utriusque sine* | *hĕrede domus* (ita Peiper, codd.: *utriusque domus sine hĕrede tuo*; sed dom. I 1 et 9 *hērediolum*),

griph. 39 *qui bipĕs et quadrupes foret et tripĕs, omnia solus,*

54 *tris primus păr, impăr habet mediumque: sed ipse,*

---

1) ita etiam alii; sed simplex forma *păr*, *pĕs* acuta pristinam quantitatem apud omnes retinebat.

2) cf. Ramorino p. 177.

3) cf. Ramorino p. 178 sqq. 184 sq. atque indices metricos poetarum in C. S. E. L. XVI et XXIII editorum.

Paulinus Nol.[1])

breves syllabae producuntur: XXXII 209 *īdem* (neutr.), saepius *quasī* et *nisī* [2]); *profundo* et *promitto* prima correpta et producta adhibentur; XXXI 631 *poterīmus*, XVI 182 *servierīs*, XVII 71 *oderīmus*, 287 *erīmus*, XIX 387 *adfuerītis*, XXXII 79 *sacrīficiis*.

syllabae longae corripiuntur: XX 387 *quadrupĕs*, XXIII 140 *tripĕs*, XXI 309, XXXIII 132 *perpĕs*, XXV 149, epist. p. 48 v. 13, p. 50 v. 62 *servitŭs*, XXXIII 45 *elŭta*, XVIII 401 *călĭgare*, XXIV 293 *suffrăgata*, XXXI 618 *suffrăgiis*.

De nominibus propriis.

Nomina propria et peregrina ut antiquitus quibusdam licentiis patebant [3]), ita apud poetas cum recentiores tum christianos interdum nulla fere lege et scansione coercebantur [4]). etiam Avienus poeta diligentissimus horum nominum quantitates persaepe laesit, id quod eo minus ei crimini dabimus, si consideraverimus, quantam in carminibus didacticis multitudinem nominum propriorum numeris tradere et adaptare debuerit [5]). conferas velim nomina ab Avieno in carmine III et a Dionysio proposita: 41, 90 *Caspĭa*: 21, 53 *Κασπί́ης* (sed 49 *Κασπί̄ῃ*), 129 *Pachy̆ni*: 86 *Παχῡνον*, 569 *Triphy̆lis*: 409 *Τριφῡλίδος*, 663 *Cercy̆ra* (bis): 494 *Κέρκῡρα*, 679 *Salāmis*: 507 *Σαλᾰμίς*, 693 *Aby̆dus*: 516 *Ἄβῡδος*, 866 *Cercētia*: 682 *Κερκέτιοι*, 867 *Torētarum*: 682 *Τορέται*, 908 *Hyrcāni*: 733 *Ὑρκᾰνιοι*, 923 *Chŏrasmi*: 746 *Χωράσμιοι*, 1013 *Crāgus*: 850 *Κρᾰ́γον*, 1016 *Cory̆cus*: 855 *Κώρῡκος*, 1022 *Pisīda*: 858 *Πισῐδέων*, 1030 *Pȳramus*, *Pīnarus*: 867 *Πῠράμοιο*, *Πῐνάροιο*, 1041 *Commāgenorum*: 877 *Κομμᾰγεηνόν*, 1070 *Bery̆tus*: 911 *Βηρῡτοῦ*, 1082 *Apămea*, 1093 *Apămenae*: 918 *Ἀπᾱμείης*, 1208 *Chālonita*: 1015 *Χᾰλωνῖται*, 1217 *Pandīonis*: 1024 *Πανδῑονίδαο*, 1273 *Cȳrus*: 1073 *Κόρος*.

---

1) cf. Huemer p. 3—12.
2) cf. p. 23.
3) cf. Bednara, libri p. 9 an 1. citati p. 330.
4) cf. Müller p. 141, 434 sqq.
5) nonnulla exempla iam Kosten (p. 12) collegit.

In versu III 303 legimus:

. . . *diros Nasamonas at inde*
aspice, quis e. q. s.

codd.: *durosque Nasamonas inde* (hoc vocabulum non bene traditur) *accipe, quis* e. q. s. Schrader *diros* scripsit et illud *que* delevit, *at* Scaliger addidit, ut nominis *Nasamonas* mensura consentiat cum Dionysio, qui scripsit (208):

κεῖνον δ' αὖ περὶ χῶρον ἐρημωθέντα μέλαθρα
ἀνδρῶν ἀθρήσειας ἀποφθιμένων Νασαμώνων.

sed *duros* esse retinendum iam Breysig (in Mus. Rhen. LVI p. 569) ostendit, neque tanta cum cura Avienum nominum propriorum mensuram servavisse iam videmus, ut ex quantitatibus laesis textum corruptum esse concludere liceat. itaque restituendum erit:

. . . *durosque Nasāmonas inde*
accipe, quis e. q. s.

795 *Carmanis qua se* e. q. s.

sic Schrader, codd.: *Carmanidis.* Dionysius 606 scribit littera *a* producta: *Καρμᾱνίδος*, eodem modo Priscianus (604): *Carmánida* neque tamen, cum ita traditum sit, dubitabimus, quin Avienus neglecta quantitate scripserit: *Carmănidis*, a littera correpta. distinctio posita post versum antecedentem delenda est.

In versibus II 251, 1136 adiectivum *Chii* iambice usurpatur, id quod est graece *Χῖος*. etiam Plautum hoc in vocabulo vocalem ante vocalem corripuisse videmus in versibus Curc. 78, Poen. 699. Horatius semper et Lucretius (IV 1106 ed. Brieger) i litteram produxerunt. in Avieni versu II 1806 nomen *Pleiadas* dactylum efficit, id quod aliis locis (II 568, 626, 704) graeca mensura (*Πληϊάδες*) usurpatur. nomen *Pyrene* et adiectivum *Pyrenaeus* Avienus modo prima producta (III 481, 883), modo correpta (III 421, IV 555, 559, 562, 565) in versibus posuit. ab aliis poetis haec syllaba plerumque producitur, interdum corripitur [1]. etiam adiectivi *Eous* primam syllabam Avienus ut veteres poetae modo produxit modo corripuit.

---

1) cf. Huemer p. 39.

Versus III 1181 legitur:

hoc Interamnis nomen tenet,

quo versu vertitur versus Dionysii 993

τήνδε περικτίονες μέσσην ποταμῶν ἐνέπουσιν.

sed illa mensura nominis latini *Intĕramnis* apud Avienum plane inaudita est. Breysig (in Mus. Rhen. LVI p. 569) ostendit scribendum esse:

1180 . . . *medio quae tellus funditur agro*
hos amnis inter, nomen tenet, ut situs illam
flumine praecinctam gemino per aperta locavit.

Caput IV. De vi consonantium mutae et liquidae.

De grammaticorum praeceptis.

Syllabam brevem, quae a muta et liquida consonantibus excipitur, grammatici latini communem habebant, atque in exemplis ab eis allatis certam legem producendi aut corripiendi indagare non potui (Terentian. 1247 — 1257; Prob. de ult. syll. p. 258, 17—25; Charis. p. 13, 17—22; Diom. p. 423, 2—6; 428, 31—429,8; Mar. Vict. p. 27, 17—21; 30, 22—26; Donat. p. 368, 2—5; 369, 3—5; Serv. in Aen. IX 762 (759); in Don. p. 424, 10—13; Serg. p. 478, 23—26; auct. de final. p. 230, 7—10; Max. Vict. p. 216, 1—218, 2; Dosith. p. 387, 10—388, 2; Mall. Theod. p. 587, 24—26)[1]).

De Avieni consuetudine.

Certa lex in Avieni carminibus observatur. apud hunc enim tenuis cum liquida coniuncta syllabam correptam, media cum liquida coniuncta syllabam productam efficit.

Syllaba brevis a **tenui et liquida** consonantibus excepta corripitur in vocabulis[2]): *volucr-* (4^{iens}), *penetr-* (12), *genetr-* (8), *locupl-* (2), *ludicra* (1), *pharetr-* (2), *barathro* (1); *sacr-* (18), *patr-* (3), *patrator* (1), *capr-* (6), *capricorn-* (12), *supr-* (2), *lucr-* (2), *duplex* (1), *atroces* (1), *lacrim-* (4),

---

1) cf. Müller p. 383 sqq.

2) singuli loci ex Holderi indice facile invenientur. ex quarto carmine iambico ea tantum vocabula collegi, quibus regula laeditur.

tetricae (1), *turicremas* (1), *Atl-* (5), *Trinacr-* (2), *Locri* (III 513: Dion. 365 *Λόκροί*).

Haec regula in nominibus propriis et peregrinis interdum migratur: II 66, 373, 1766 *Cēcropi-*; versui 1766 exemplum Vergilii (ge. IV 177, cf. 270) subest, qui scribit:

Cecropias innatus apes;

(sed Av. II 1370 *Cĕcropéa*); III 68 *Erȳthraei* (cf. Dion. 38), 524, 572 *Amȳclae-* (cf. Dion. 377), 704 *Cȳclades* (cf. Dion. 526), 777 *Tāprobane*(?) (cf. Dion. 593), 946 *Mācrones*(?) (cf. D. 766), 1134 *Hātramis*(?) (cf. D. 957), 1297 *Sātram*(?) (cf. D. 1097), II 604 *Ātlantides*, III 20, 100 *Ātlas* (in exunte versu), II 936 *pēpli* (vocabulum graecum in exeunte versu). legitur praeterea:

II 194 *poplite succidui qua sideris alma patescunt*
terga,
1107 *sed nixus genibus replicato luce*[1]) *residens*
poplite iam superi celatur corporis artus.

prima syllaba vocabuli *poplite* plerumque a poetis producitur, velut a Prudentio (in Sym. II 559), a Claudiano (XXXV 34), a Paulino Nol. (XIX 576). Lucretius (IV 933) scripsit *poplites* prima correpta, nec non Serenum eam corripuisse Servius affirmat, qui scribit (in Aen. IX 762): „*poples* autem *po* correpta est, sicut in Sereno legitur; sed producitur positione.“ Avienus vero hanc syllabam corripere noluit, cum quosdam poetarum veterum versus imitari ei in animo fuerit. versus enim II 194 spectat Ovidii versum (met. X 457):

. . . *at illi*
poplite succiduo genua intremuere,

II 1107 Vergilii versum (Aen. XII 926):

. . . *incidit ictus*
ingens ad terram duplicato poplite Turnus.

praeterea legitur in Avieni versu exeunte II 496: *Hippocrenen*, ubi cod. Vindob. praebet: *hippcreuen*. in versus 1010 eadem sede legitur in cod. Ambr. *hippocrenes*, in Vindob. perscribitur *hippucrenae*. inde probatur etiam illo loco scriptorem co-

---

1) Breysig et Holder coniecturam Ioannis Schrader receperunt, qui scripsit *crure*; sed lectionem traditam recte se habere Winterfeld (diss. p. 18) ostendit.

dicis Vindob. *Hippucrenen* intellexisse. hanc vero formām Avienum praetulisse ideo opinor, quod ante tenuem et liquidam consonantes vocalem natura productam ponere maluit.

Bis tantum Avienus legem sine ulla venia migravit, cum scriberet:

II 530 *et gemini suprema iugi vicinia mordet,*
1180 *cum sacrata Chii nemora et frondentia late.*

semel puto poetam hac lege tam accurate servata deceptum esse; cum enim putaret, Vergilium et ceteros poetas primam syllabam vocabuli *latrare,* quae natura est producta, positione produxisse, eam semper falso corripuit[1]).

Consonans **media cum liquida** coniuncta syllabam productam efficit in vocabulis: *agr-* (41iens in exeunte versu, bis (II 999, 1823) alia in sede), *pigr-* (10), *flagr-* (17), *vibr-* (12), *nigr-* (4), *fragrat* (1), *nebrid-* (3), *Hadr-* (6), *Calabria* (1), *Bebrycia* (1), *Rubr-* (3), *Byblos* (1), *Agraei* (1), *Sodri* (1).

Haec tamen lex non valet in eis vocabulis, in quibus accentu feritur ea syllaba, quae illi syllabae antecedit, quae a muta et liquida consonantibus excipitur. talibus enim in vocabulis illa syllaba omnibus in sedibus versus corripitur, in sexta tantum thesi producitur. legitur enim: II 22, 1549 *tenĕbrarum,* II 35, 844 *tenĕbrosus,* II 210 *tenĕbras,* II 996, 1140, III 729 *tenĕbris,* II 702, III 1304 *latĕbras,* III 1313 *latĕbris,* II 945 *concelĕbrat,* III 24 *celĕbrantur,* III 76 *celĕbri,* III 420 *perăgrans* (sed semper *āgr*), III 851, IV 503 *perĕgrina,* quod vocabulum ab adverbio *péregre* derivatur, III 1151 *impĭgra* (sed semper *pīgr-*). sed in versu exeunte occurrit: II 1359 *tenēbrae,* 588 *tenēbris,* III 579 *tenēbras.* quater etiam tale vocabulum hac syllaba producta medio in versu legitur: II 697, 1318 *tenēbrarum,* 754 *latēbrarum,* III 64 *tenēbrosa*; tamen his in vocabulis multitudo syllabarum quandam veniam praebere videtur.

In aliis vocabulis quinquiens media consonans cum liquida coniuncta syllabam antecedentem non producit, semel quidem in nomine proprio (IV 489) *Crăbrasiae.* bis vocabuli *quadrupes* prima syllaba corripitur (II 486, 881); Avienum vero huius

1) cf. p. 21.

vocabuli ultimam syllabam natura productam habuisse, etiam si illis locis vocabulum sequens a consonanti littera incipit, mihi quidem constat[1]). ita necessitate adductus poeta primam syllabam huius vocabuli corripuit. restant versus, quibus veniam satis validam indagare non possum:

II 210 . . . *stagna nigrantia Ditis*

(qui locus ad Vergilii (Aen. VI 323) exemplum factus est),

IV 485 (v. ex.) . . . *gens ăgrestis et ferox.*

Iam monere liceat, Avienum nusquam syllabam finalem vocali brevi terminatam ante vocabulum, quod a muta et liquida consonantibus incipit, harum consonantium vi produxisse. ita neque in versu II 1669[2]) neque in IV 335[3]) veri simile est, ultimas syllabas vocabulorum *aquilo* et *tenue* positione productas esse.

De ceterorum poetarum consuetudine.

Isidorus Hilberg (Beobachtungen über die prosodischen Functionen inlautender muta cum liquida bei Ovid, in Serta Hartel. Vindob. 1896 p. 172) et Radu I. Sbĭera (Die prosod. Funktionen inl. muta cum liquida bei Vergil, Czernow. 1898) ostendere conati sunt, Ovidium et Vergilium syllabam brevem ante mutam et liquidam consonantes positam ratione semper produxisse atque non nisi necessitudine numeri aut vocabuli coactos correptam admisisse, exceptis vocabulis *patr-*, *utr-*, *rĕ-*, quae semper fere corripiuntur. Sbĭera etiam has regulas inde explicare atque derivare ausus est, quod contendit, poetas talibus in vocabulis accĕntum metricum et grammaticum consentire voluisse.

Iam de poetarum quarti saeculi consuetudine quaeramus:

produxit			corripuit	
in 6. thesi	aliis in sedibus versus			
Porfyrius				
1 peragr-;	2 flagr-,	3 patr-,	1 alacr-;	1 celebr-.
1 rubr-,	1 agr-.	5 metr-.	4 metr-,	
1 libr-,			1 patr-,	
1 pigr-,			1 propr-,	
1 migr-;			1 supr-,	
7 metr-,			1 utr-,	
2 sacr-.			1 dupl-.	

1) cf. p. 25. 2) cf. p. 13 sq. 3) cf. p. 11.

produxit			corripuit	
in 6. thesi	aliis in sedibus versus			
		Iuvencus		
10 tenebr-,	6 agr-,	18 Petr-,	4 volucr-,	10 tenebr-,
3 latebr-,	4 quadr-,	4 patr-,	2 centipl-,	10 celebr-,
3 celebr-;	2 nigr-,	4 sacr-,	1 decupl-;	1 peragr-,
1 agr-,	3 vibr-,	4 supr-,	saepe patr-,	1 peregr-;
1 flagr-,	1 pigr-,	3 lucr-,	„ sacr-,	1 quadrigis.
1 rubr-;	1 fabr-,	3 dupl-,	2 Petr-,	
9 patr-,	1 flagr-,	3 latron-,	1 lucr-,	
1 sacr-,	1 fragr-,	1 mediocr-.	2 utr-,	
5 lucr-,	1 febr-,		1 latron-.	
1 supr-,	1 migr-,			
1 latro,	3 ludibr-.			
1 dupl-,				
1 metr-,				
1 pepl-,				
3 lepr-,				
8 Petr-.				
		Auctor laudum Domini		
1 patrem.	2 pigr-.	—	1 volucr-;	1 tenebr-.
			1 sacr-,	
			2 propr-.	
		Auctor carminum De Sodoma et De Iona		
1 nigra;	1 flagrat,	1 sacra (S. 17),	4 patr-,	2 tenebras.
1 putri.	1 Bebrycum.	1 sacrificant.	4 propr-,	
			1 retr-,	
			2 dupl-,	
			1 mitr-.	
		Damasus		
—	—	4 sacr-.	4 penetr-,	2 tenebr-,
			1 alacr-,	1 latebr-,
			1 genetr-;	2 celebr-,
			interd. sacr-,	1 integr-.
			2 propr-,	
			1 suprem-,	
			3 lacrim.	
		Auctores Ps.-Damasianorum		
1 latebras;	1 migravit.	5 sacr-,	1 penetr-,	2 flagr-
1 sacr-.		3 patr-,	1 volucr-;	(LXXI 10, 15),
		1 sacrilego.	3 sacr-,	1 nigr-
			1 propr-,	(LXXXIII 7).
			1 dupl-,	
			1 lacrim-.	

produxit: in 6. thesi	produxit: aliis in sedibus versus		corripuit	
Auctor carminis Ad quendam senatorem				
—	1 muliebribus.	—	1 penetraveris; 2 sacr-, 2 propr-.	2 tenebr-, 1 celebr-.
Auctor carminis Adversus Marcionem				
1 celebrans; 1 botrus (II 231).	1 fragr-, 1 flagr-.	2 sacr- (IV 161, V 8), 2 sacrilegum (III 19, 290), 1 patrem (I 161), 3 petr- (III 63, 276, 292), 1 supremum (II 13), 1 putrescat (II 227), 1 ecclesia (III 291).	4 locupl-, 1 meretr-, 1 penetr-, 1 tonitr-, 1 multipl-; 37 patr-, 9 propr-, 2 dupl-, 3 supr-, 2 utr-, 2 sacr-, 2 latron-, 2 vitr-, 1 lepr-, 1 atroc-, 1 petr-, 2 lacrim-, 4 eccles-[1].	4 tenebr-, 2 latebr-, 1 celebr-, 1 peragr-, 1 peregr-, 2 cathedr-; 1 libri (II 55), 2 Abrah-.
Auctor carminis Contra paganos				
—	—.	6 sacrat- (13, 24, 34, 46, 76, 95), 1 patrem (16).	1 genetrix, 1 meretrix; 2 sacrat-, 1 patriae, 1 propr-, 1 bifrontem, 1 lacrimas.	—
Prudentius				
8 tenebr-, 3 latebr-, 4 cerebr-, 2 colubr-, 1 onagr-, 1 peragr-; 1 volucr-, 1 barathr-;	11 quadr-, 5 nigr-, 2 pigr-, 2 flagr-, 2 fabr-, 3 probr-, 1 febr-, 2 ludibr-;	12 sacr-, 9 patr-, 5 tripl-, 3 dupl-, 2 stupr-, 2 supr-, 1 vepr-, 1 popl-,	10 volucr-, 4 alacr-, 4 multipl-, 1 semetra; saepissime patr-, saepissime sacr-,	14 celebr-, 9 tenebr-, 3 latebr-, 2 scatebr-, 1 cerebr-, 9 inlecebr-, 2 peregrin-; 1 quadrigas,

1) fortasse scriptores illius aevi scripserunt *eclesia* una tantum littera c.

produxit			corripuit	
in 6. thesi	aliis in sedibus versus			
10 agr-,	4 tenebros-,	3 retr-,	5 latr-,	3 agr- (psych.
2 fabr-,	1 tenebrarum,	1 mediocr-.	3 supr-,	534, ditt. 17,
1 pigr-,	1 latebros-,		2 dupl-,	in Sym. II
1 nigr-,	1 terebrato,		1 tripl-,	1000).
4 flagr-;	1 celebrando,		3 putr-,	
5 sacr-,	2 funebr-,		4 retr-,	
2 patr-,	2 palpebr-,		1 petr-,	
2 retr-,	1 cathedr-,		1 pepl-,	
3 dupl-,	1 peregrin-,		3 lucr-,	
2 vepr-.	3 integr-,		1 capr-,	
	2 muliebr-.[1]		1 stupr-.	
Claudianus (XV, XXIV, XXXIII)				
1 barathr-,	3 rubr-,	7 patr-,	2 pharetr-,	2 latebr-,
1 Amycl-,	3 flagr-,	5 sacr-,	1 locupl-,	1 tenebr-,
1 pharetr-,	3 fabr-,	1 patrare,	4 penetr-,	1 celebr-,
1 manipl-;	1 probr-,	1 stupr-,	1 alacr-,	1 inlecebr-;
1 rubr-,	1 nigr-,	2 utr-,	2 volucr-,	1 quadrigis.
1 vibr-,	1 agr-,	1 supr-,	2 genetr-,	
1 tigr-;	1 pigr-,	1 putr-,	1 tonitr-;	
1 patr-,	1 tigr-.	2 Atrop-,	12 patr-,	
1 Atreus,		2 Atlant-,	2 arbitr-,	
1 Atl-.		3 Trinacr-,	6 propr-,	
		2 Cyclop-,	2 utr-,	
		1 Amphitrite.	1 supr-,	
			1 vitr-,	
			3 lacrim-.	
Symphosius				
1 tenebris.	3 nigr-,	1 patri (124),	3 volucr-;	2 tenebr-,
	1 migrare,	1 cuprea (277),	2 propr-,	1 peragrans,
	1 libris,	1 mediocr- (9).	1 utrimque,	1 peregrina,
	1 agricolis.		3 lacrim-.	1 latebris;
				1 fabrica (248).
Avianus				
1 tigris;	4 pigr-,	2 sacr- (XXIII	6 volucr-,	—
1 apri.	1 rubris,	6, XLII 13),	5 genetr-,	
	1 agrestem.	1 supremo	1 ludicr-;	
		(II 14),	6 propr-,	
		1 lucra	5 dupl-,	
		(XXXIII 6).	1 retr-,	
			2 utr-,	
			1 patrio,	
			3 lacrim-.	

1) in carminibus lyricis metris compositis vocabula, qualia sunt *tenebrae*, *volucres*, multo saepius medio in versu producuntur.

produxit			corripuit	
in 6. thesi	aliis in sedibus versus			
		Auctor carminis De ponderibus		
3 tripl-, 1 dupl-.	2 quadr- (49, 61).	1 sacravere (63), 2 dupl- (8, 23), 1 tripl- (176), 1 Cecropi-(37).	3 quadrupl-.	3 quadrupl- (200, 204).
		Auctor carminis De figuris		
1 flagrat.	—	1 sacrum (120), 1 metro (3).	1 indupetravi; 1 patrem, 1 propria, 1 tetracolon.	1 peregri.
		Ausonius		
1 cathedr-, 1 celebr-, 1 tenebr-; 1 feretr-; 3 agr-, 1 hydr-, 1 vibr-, 2 libr-, 1 cedr-, 1 glabr-; 4 patr-, 2 lucr-, 2 apr-, 2 sacr-, 2 tripl-, 2 metr-, 1 Atl-, 1 stupr-, 1 arborea trabs (techn. X 7), 1 homo Cres (ibid. 20).	5 agr-, 9 vibr-, 12 quadr-, 4 probr-, 4 pigr-, 3 flagr-, 2 hamadr-, 1 febru-, 3 ludibr-, 1 rubr-, 1 fabr-, 1 libr-; 2 funebria (ecl. XXI 4, XXIV 33), 1 celebria (ecl. XXIV 9), 2 muliebre (techn. X 26, griph. 8), 1 integratus (epist. IX 7), 1 peregrini (techn. XIV 8).	13 patr-, 12 sacr-, 3 dupl-, 9 supr-, 7 tripl-, 4 utr-, 1 lucr-, 3 apric-, 1 socr-, 1 vitr-, 1 metr-, 1 mediocr-, 1 Locr-, 1 Atrid-, 4 disciplin-, 2 tetragon-, 1 april-, 2 Cyprid-, 1 capriped-.	9 volucr-, 5 penetr-, 1 alacr-, 4 locupl-, 1 pharetr-, 1 meretr-, 6 multipl-, 1 quinquipl-; 39 patr-, 6 sacr-, 3 latr-, 5 supr-, 19 utr-, 15 dupl-, 6 tripl-, 4 propr-, 6 vitr-, 1 apric-, 1 apr-, 2 putr-, 1 pepl-, 1 metr-, 6 lacrim-, 4 capricorn-, 1 Atlant-, 1 Atrid-, 1 April-, 2 tetric-.	32 celebr-, 2 tenebr-, 2 cathedr-, 4 inlecebr-, 1 latebr-, 1 peregrin-; 1 quadrupĕs (griph. 39), 1 libr- (griph. 77), 2 agr- (urb. 46, epist. XXVII 93), 1 febr- (ecl. XIX 6), interdum quadrig-.

produxit			corripuit	
in 6. thesi	aliis in sedibus versus			
Paulinus Nolanus				
9 tenebr-,	2 quadr-,	47 sacr-,	6 volucr-,	15 tenebr-,
6 latebr-,	1 quadrupes,	6 patr-,	1 alacr-,	5 latebr-,
2 celebr-,	1 fragr-,	2 Petr-,	1 ludicr-,	21 celebr-,
1 salebr-,	3 agr-,	3 putr-,	1 locupl-,	1 salebr-,
1 peragr-,	2 nigr-,	5 utr-,	1 meretr-,	3 inlecebr-,
1 Tanagr-;	1 pigr-,	1 stupr-,	1 genetr-;	1 peragr-,
3 volucr-,	2 probr-,	1 lepr-,	saepissime	1 colubr-;
1 calicl-,	4 fabr-,	1 propria,	sacr-,	1 quadrigas.
1 feretr-;	1 vibr-;	1 poplite,	saepissime	
3 agr-,	2 tenebros-	1 latronem,	patr-,	
2 nigr-,	(XIX 16,	1 caprigenum,	13 Petr-,	
1 fabr-;	XXIII 236),	2 eccles-.	4 latr-,	
1 propr-,	1 celebrabat		3 vitr-,	
4 sacr-,	(XIX 171),		1 putr-,	
4 patr-,	2 palpebr-		6 utr-,	
1 Patras,	(XXIII 169,		1 dupl-,	
2 petr-,	284),		1 arbitr-,	
1 utres,	2 integri		8 eccles-.	
1 metr-.	(XXXI 266,			
	310).			

Iam videmus apud omnes poetas illam legem valere, quae ad vocabula proparoxytona pertinet. horum enim paenultima, sive a media et liquida sive a tenui et liquida consonantibus excipitur, sextae thesis vi produci solet, aliis locis versus corripitur[1]). Avienus vero tales tantum syllabas in sexta thesi

1) eadem lex valet apud poetas aevi Augusti; cf. Sbiera, l. c. p. 48, 53, 54 satis mira tota haec regula est, cum illa vocabula ita in versum exeuntem admittantur, ut accentus grammaticus cum metrico non consentire videatur. Guilelmus Meyer-Lübke (Grammatik der Roman. Sprachen I, Lipsiae 1890 par. 594) vero contendit in sermone latino vulgari ut in dialectis romanis illorum vocabulorum syllabam paenultimam accentu praeditam esse (cf. etiam Gröber, in Arch. f. l Lex. I p. 217, 223, 543, 550); sed iam grammatici antiqui hac re offenderunt, qui talis vocabuli antepaenultimam acuere voluerunt, quamvis paenultimam syllabam positione productam habuerint (Diom. p. 431, 27; 432, 27—35; Don. p. 371, 18; Serg. p. 483, 4). iam Quintilianus scribit (I 5, 28): „evenit, ut metri quoque condicio mutet accentum: ut (ge. III 243, A. IV 525) *pecudes pictaeque volucres*: nam *volucres* media acuta legam: quia, etsi

produxit, quae a media et liquida excipiuntur. hoc vero casu factum esse ideo vix crediderim, quod primum satis magnus numerus vocabulorum proparoxytonorum in medio versu occurrit, quorum paenultima ante tenuem et liquidam posita corripitur[1]), deinde quod Avienus ne bisyllabi quidem vocabuli primam syllabam brevem ante tenuem et liquidam positam sextae thesis vi producere ausus est, exceptis peregrinis vocabulis *pepli, Atlas.* syllabam paenultimam vocabulorum plurium quam trium syllabarum Prudentius, Avienus, Ausonius, Paulinus interdum in medium versum productam admiserunt, ita tamen ut haec syllaba semper a media et liquida consonantibus, numquam vero a tenui et liquida excipiatur.

Etiam illam regulam omnes poetae observaverunt, qua praecipitur, ut media et liquida consonantes syllabam producant. migraverunt eam perraro auctores epigrammatum quorundam Damaso attributorum (*flăgr-*, *nĭgr-*), auctor carminis adversus Marcionem (*lĭbri*), Prudentius (*ăgr-*), Avienus (*nĭgrantia, ăgrestis*), auctor carminis de ponderibus (*quădrupl-*), Ausonius (*lĭbr-, ăgr-, fĕbr-, quădrupēs*).

Sed syllabas, quae a tenui et liquida consonantibus excipiuntur, omnes hi poetae modo producere modo corripere solent, ita tamen ut plerique paulo saepius eas corripiant, quam producant; praecipue in sexta thesi non dubitant talem syllabam producere[2]). iam apparet hac in re Avienum a ceteris differre, quippe qui talem syllabam non saepius producat (*sūprema, săcrata*), quam syllabam ante mediam et liquidam positam corripiat, neque sextae quidem thesis vi eam producere ausus sit.

---

natura brevis, tamen positione longa est, ne faciat iambum, quem non recipit versus herous". similiter Sergius (p. 483, 35), Servius (in Aen. I 384, XI 463), Consentius (p. 399, 12).

1) cf. p. 34.

2) cf. Fr. Marx, in ed. Lucil. I p. 167 sq.

De re metrica.

Caput V. De synalipha.

De Avieni consuetudine.

A. Quibus in versus sedibus elidatur.

Apud Avienum eliditur	syllaba, quae exit in vocalem productam		syllaba, quae exit in litteram *m*		syllaba, quae exit in vocalem correptam	
in carmine	II	III	II	III	II	III
ante 1. thesin	0iens	0iens	0iens	0iens	0iens	0iens
„ 1. arsin	10	7	14	13	61	25
„ alt. partem 1. arsis	0	3	0	2	18	15
„ 2. thesin	23	27	31	31	34	15
„ 2. arsin	2	0	4	1	40	8
„ alt. partem 2. arsis	0	0	0	0	0	0
„ 3. thesin	6	1	1	1	10	3
„ 3. arsin	1	0	0	0	5	3
„ alt. partem 3. arsis	0	0	0	0	0	0
„ 4. thesin	13	3	2	4	10	5
„ 4. arsin	17	4	14	8	23	8
„ alt. partem 4. arsis	0	0	0	0	1	0
„ 5. thesin	3	5	2	0	7	3
„ 5. arsin	0	1	2	0	14	14
„ alt. partem 5. arsis	2	6	1	0	38	21
„ 6. thesin	0	0	0	0	1	0
„ 6. arsin	0	0	0	0	0	0
omnino	77iens (4,10 %)	57iens (4,09 %)	71iens (3,78 %)	60iens (4,31 %)	262iens (13,95 %)	120iens (8,61 %)

Inveniuntur omnino elisiones in carmine altero 410 (21,83 %), in carmine tertio 237 (17,01 %), in carmine quarto iambico, quod 700 versus amplectitur, 367 (52,43 %). multo plures igitur elisiones occurrunt in altero quam in tertio carmine. sed haec varietas ad elisionem vocalium brevium tantum pertinet; vocalis producta totiens in tertio quotiens in altero carmine, syllaba, quae in *m* litteram desinit, vel saepius in tertio carmine quam in altero eliditur.

Ut apud omnes poetas prima et quarta arsis, tertia et quarta thesis, in qua vox monosyllaba caesurae antecedat, elisionibus gravioribus patet, ita Avienus etiam his in sedibus versus saepius elidere solet. tamen in tertio carmine minus saepe ante quartam arsin et ante tertiam et quartam thesin vocalem longam elisit.

Ante alteram syllabam brevem primae arsis vocalis longa in altero carmine nusquam, in tertio ter (624, 697, 803) eliditur.

Ante secundam arsin vocalis producta in altero carmine parum eleganter bis (183, 955), in tertio numquam cum vocali concurrit. in versu II 1643 legitur:

circumfusa adeo si cingula nescia solvi
servarint taetrae speciem torpentia molis.

intellegendum est *cingula soli circumfusa,* sed obiectum dativo expressum, quo sol significetur, desideratur. legitur vero in cod. Ambr. *dea,* in ed. pr. *adeo,* quod vocabulum apud Avienum alibi non occurrit. sed saepe sol *deus* appellatur, velut in versibus 654, 1558, 1565, 1574, 1589, 1599, 1646. ita neque hoc loco dubitabimus, quin scribendum sit:

circumfusa deo si cingula e. q. s.

neque placere, quod Robert in versu II 266 proposuit: *flam*^{2}*mam umeri,* p. 19 ostendi.

Ante tertiam arsin, quo loco propter caesuram elisio gravior minime placet, vocalis producta semel tantum eliditur in versu II 522

quaerentem. non longă aries statione locatus
in convexa redit.

Ante alteram syllabam quartae arsis semel tantum eliditur in versu II 550

Troicus haurit aquas funditque ubi ephebus ab urna,

ita Grotius, codd.: *fundit quo phebus* (cod. Ambr.: *phoebus*). Fr. Marx suspicatur, poetam scripsisse: *funditque ut ephebus,* cum conferat versum 650, ubi Arati (286) particula *ἵνα* (quod est *οὗ*) vertitur particula *ut,* et versum 803.

Ante quintam thesin pronomen *sese* in altero carmine ter, in tertio quinquiens cum vocali concurrit.

In versu exeunte poetae graviores elisiones vitabant[1]. Avienus vero, qui saepius vocabuli finem in quinta thesi posuit, hanc duritiem non raro eo levavit, ut hanc thesin cum arsi sequente synalipha coniungeret. hoc loco vocalis longa eliditur in versu III 908 *(Hyrcani, Apyrique)*, syllaba *m* littera terminata in versibus II 28 *(rerum opifex hic)*, qui locus ad exemplum Ovidii (met. I 78) factus est, et II 1619 *(partem in utramque)*.

Ante alteram syllabam quintae arsis Avienus vocalem productam in altero carmine bis (214, 705), in tertio carmine sexiens (106, 437, 712, 734, 1334, 1339), syllabam, quae in *m* desinit, in altero carmine semel elisit (1165):

. . . Cepheus et verticem et ulnas
mersatur patulas.

dicitur etiam de virgine Iustitia (286):

. . . seu quae pernicibus alis,
nec sat certa gradum, viduataque vertice summo
fluxa pilae vertis vestigia, lubricum ut aevum
sors agat et subitis obrepat mobile fatum
temporibus.

ed. pr.: *lubricum*, codd.: *lubrica*. sed cum semel tantum praeter hunc locum syllaba *m* littera terminata hac in sede versus elidatur, non libenter *lubricum* scribemus. egregie vero iustitiae, quae aevum agat, lubrica sors et mobile fatum opponuntur. similiter in versu III 300 sors *caeca* appellatur. itaque hoc loco *lubrica* restituemus. — neque iam dubii erimus, utrum in versu III 921 scribendum sit: *sanguen equinum* an *sanguinem equinum*, quod nonnulli editores nonnullos libros secuti in textu posuerunt.

Ante sextam thesin semel particula *que* eliditur (II 1238).

Ante alteram partem secundae et tertiae arsis et ante sextam arsin vocales non concurrunt.

B. De vocalium productarum elisione.

Iam quaeramus, cuius mensurae vocabula, quae in vocalem longam exeunt, ante cuius quantitatis syllabas elidantur.

1) cf. Eskuche, in Mus. Rhen. XLV p. 236 et 385.

eliditur	ante syllabam			
	productam		correptam	
in carmine	II	III	II	III
vox monosyllaba . .	1iens (0,05 %)	0iens (0 %)	0iens (0 %)	0iens (0 %)
„ iambica	3 (0,16 %)	4 (0,29 %)	0 (0 %)	0 (0 %)
„ cretica	—	—	2 (0,11 %)	9 (0,65 %)
„ anapaestica . .	13 (0,69 %)	19 (1,36 %)	—	—
„ spondiaca . . .	49 (2,41 %)	20 (1,44 %)	9 (0,48 %)	5 (0,36 %)
vocalis producta . .	66 (3,51 %)	43 (3,09 %)	11 (0,59 %)	14 (1,01 %)

In Avieni textu quem legimus interdum vocabula **monosyllaba**[1]) elisa occurrunt, semper vero locis dubiis:

III 158 *donec harenosae se attollant aequore Syrtes.*

codd. praebent: *harenosas attollant* (sive *attollunt*) *aequora*, id quod Schrader nescio qua de causa mutaverit. nos quidem lectionem traditam restituemus.

II 75 . . . *ampla patescit*
Cirrha mihi et totis se Helicon inspirat ab antris.

illud *se* in editione principe tantum legitur, deest in codicibus. pessime monosyllabum longum ante syllabam brevem eliditur. quaeritur, num eo carere possimus. *inspirare* quidem verbum cum duobus obiectis altero dativo altero accusativo coniungi solet:

Verg. Aen. VI 11 . . . *magnam cui mentem animumque*
Delius inspirat vates.

vocabulum *aspirare* accusativo casu carere solet:

Ov. met. I 2 . . . *di, coeptis . . . et illac*
adspirate meis.

Tib. II 1,35 . . . *aspiraque mihi.*

Verg. Aen. II 385 . . . *adspirat primo fortuna labori.*

hunc versum imitatus Avienus scripsit (III 1393):

. . . *Aonio famam inspirate labori.*

sed Avienum, qui in versu III 818 scripsit:

. . . *totis Helicon aspiret ab antris,*

eundem scripsisse verisimile est accusativo nequaquam adiuncto:

. . . *totis Helicon inspirat ab antris.*

illud *se* delendum est.

1) de vocabulis monosyllabis elisis cf. Müller p. 339.

II 1499 sqq. *sed quae signa novo dederit nox tertia motu*
quartave, sustollat medios dum Cynthia vultus,
durabunt caelo. medio quae edixerit ore
ignis in plenos, hinc in dispendia rursus
altera provisae signantur tempora lunae.

accusativus pronominis *quae* a poetis melioris notae non in elisione ponitur. semel vero gravis elisio huius vocabuli apud Avienum invenitur in versu carminis iambici IV 117

quae (scil.: *aequora*) *Himilco Poenus mensibus vix quattuor*
119 . . . *posse transmitti adserit.*

sed hoc loco nomen proprium quandam veniam praebet, in illo versu hexametro hoc tolerari nequit. iam verbum *edico* apud Avienum praeterea non occurrit, sed interdum vocabulum *dico* hoc significatu usurpatur. legitur enim:

1396 *namque alias caelo cum tertia lumina Phoebus*
exserit, ille sali furit inplacabilis horror,
adfore quem pelago comitem sibi dixerat astrum.
1455 . . . *adfore dicet*
clara serena diu.

hoc verbum etiam hoc in versu restituendum esse opinor. deinde totus hic locus ineptissime in editionibus distinguitur. Aratus (806—810) scripsit:

ἀλλ', ὅσα μὲν τριτάτῃ τε τεταρταίῃ τε πέληται,
μέσφα διχαιομένης, διχάδος γε μὲν ἄχρις ἐπ' αὐτήν
σημαίνει διχόμηνον, ἀτὰρ πάλιν ἐκ διχομήνου
ἐς διχάδα φθιμένην· ἔχεται δέ οἱ αὐτίκα τετράς
μηνὸς ἀποιχομένου, τῇ δὲ τριτάτῃ ἐπιόντος.

apparet apud Avienum verbum *durabunt caelo* non minus ad vocabula *ignis in plenos*, quam ad sententiam *sustollat medios dum Cynthia vultus* pertinere. *mox* quod in v. 1499 traditur recte se habet. itaque scribendum et distinguendum erit:

sed quae signa novo dederit mox tertia motu
quartave, sustollat medios dum Cynthia vultus,
durabunt caelo, medio quae dixerit ore,
ignis in plenos. hinc in dispendia rursus
altera provisae signantur tempora lunae.

Restat versus II 629

intulit hanc caelo miseratus Juppiter artem
630 *praestantis iuvenis, pecudes qui et flumina vates*
flexerat. at[1]) *nixi qua semet* e. q. s.

qui quidem pronomen vel optimus quisque poeta elidere sibi indulsit. sed codices praebent *q.* (Vind.) vel *q*з (Ambr., ed. pr.), Morel scripsit *qui*. — etiam in versu II 411 pronomen *qui* elidi, p. 92 sq. probare conabor:

. . . *pronus qui ingens procul in geminorum*
laeva iacet.

Vocem **iambicam** poetae melioris aetatis raro ante voces monosyllabas productas *et, ac, atque* elisam admiserunt[2]). Avienus tale vocabulum in carmine altero ter, in tertio vel quater elisit: II 940 *deā ac*, 1463 *noti aut*, 1496 *tene ac*, III 550 *humo et*, 968 *noti in*, 1231 *quasī et*, semel etiam ante vocabulum plurium syllabarum: III 1379 *iugi* (?) *extantis*[3]).

Vox **cretica** cum non nisi ante syllabam brevem elisa hexametro versui conveniat, ab elegantioribus poetis prorsus vitatur[4]). Avienus vero eam in altero carmine bis tantum, in tertio noviens sibi indulsit. legitur enim in exeunte versu II 214 *intimo abusque*, 705 *ultimo ab orbe*, III 106 *ardui utrimque*, 437 *Abnobae hiatu*, 712, 734 *insulae ab alto*, 1334 *anguli ab omni*, 1339 *caespiti eoo*, in ineunte versu III 624 *insulae et*, 697, 803 *insulae in*[5]).

Non tanta cum cura a poetis elegantioribus elisio voca-

---

1) ita scribendum est, cf. p. 93 sq.

2) cf Müller p. 340.

3) in carmine iambico vocabulum iambicum sexiens in elisione ponitur: 3 *capi ut*, 20 *tuo esse*, 105 *rei ad*, 228 *iugo eriguntur*, 140 *diu inter*, 465 *diu incolis.* auctor carminis adv. Marcionem tale vocabulum etiam ante syllabam brevem elisit: II 193 *aquae erant*, V 131 *pati ut omnes.* hoc inde explicatur, quod syllabae finales apud eum maxime imminuuntur.

4) cf. Müller p. 342.

5) in carmine iambico, ubi talis vocabuli elisio minus offendit, invenitur 359 *invehi advenas*, 570 *incolae istam.* cf. etiam auctorem carminis adv. Marcionem V 201 (v. exeunte) *glória et aevo*, Prudent. perist XI 1 (v. exeunte) *Rómulā in urbe*, Auson. dom. IV 11 (v. in.) *óptuli opem.*

buli **anapaestici** vitatur, quod ante syllabam longam tantum elidi potest. eliditur in Avieni carmine altero 13^{iens} (463, 465, 498, 557, 635, 696, 711, 957, 1038, 1124, 1361, 1778, 1877), in tertio carmine vel 19^{iens} (18, 179, 255, 275, 303, 387, 390, 478, 511, 531, 541, 733, 766, 1013, 1076, 1095, 1195, 1305, 1380).

Iam videmus Avienum in vocabulis iambicis, creticis, anapaesticis elidendis leges artis in tertio carmine minus diligenter observavisse quam in altero carmine. sed vocabulum **spondiacum**, cuius elisio vel ab optimo quoque poeta facilius admissa est, Avienus multo saepius in altero quam in tertio carmine elisit.

De ceterorum poetarum consuetudine.

Iam breviter Avienum cum ceteris poetis comparemus. eliditur:

in	syllaba quae exit in vocalem productam		syllaba quae exit in litteram *m*		syllaba quae exit in vocalem correptam	
Verg. Aen. I (756 versus)[1]	85iens	(11,2%)	97iens	(12,8%)	173iens	(22,9%)
Ovid. met. I (779)[1]	8	(1,0)	23	(2,9)	129	(16,6)
Porfyr. (667)	38	(5,7)	18	(2,7)	64	(9,6)
Iuvenc. I (770)	31	(4,0)	21	(2,7)	110	(14,3)
Laud. Domini (148)	4	(2,7)	2	(1,4)	15	(10,1)
carmine de Sod. et de Iona (272)	8	(2,9)	19	(7,0)	47	(17,3)
„ ad quend. senat. (85)	3	(3,5)	3	(3,5)	2	(2,4)
„ adv. Marc. I et II (511)	24	(4,7)	18	(3,5)	48	(9,4)
„ contra pag. (122)	5	(4,1)	3	(2,3)	10	(8,2)
Prud. psych. 1—500	23	(4,6)	14	(2,8)	101	(20,2)
Avien. II (1878)	77	(4,1)	71	(3,8)	262	(13,9)
„ III (1393)	57	(4,1)	60	(4,3)	120	(8,6)
Claud. I, III, XVII (1006)[1]	2	(0,2)	11	(1,1)	46	(4,6)
Symphos. (312)	1	(0,3)	2	(0,6)	4	(1,3)
Avian. (327)	5	(1,5)	16	(4,9)	22	(6,7)
Auson. (3220)	172	(5,3)	130	(4,0)	587	(18,2)
Paulin. Nol. (6895)	354	(5,1)	431	(6,3)	959	(13,9)

1) numeros, qui ad Vergilium, Ovidium, Claudianum pertinent, ex Mülleri libro (p. 336) petivi.

Inde apparet poetas christianos quarti saeculi in syllabis coniungendis mediam quandam Vergilii et Ovidii consuetudinem sequi. cum christianis fere Avienus consentit. vocales enim longas totiens fere quotiens Iuvencus, auctores carminum adv. Marc., contra pag., Prudentius elisit; syllabam *m* littera terminatam etiam saepius quam illi, vocalem brevem totiens fere quotiens illi elisit. Prudentius solus in brevibus vocalibus elidendis Vergilii fere consuetudinem adaequat. iam qui sequuntur poetae pagani, Claudianus, Symphosius, Avianus, Ovidii consuetudinem imitantur vel etiam superant rarissime tantum vocalem longam et syllabam littera *m* terminatam, raro etiam brevem syllabam elidunt; Avianus solus saepius syllabam, quae in *m* litteram exit, elidere solet. poetae Galli Ausonius, Paulinus vel maiores licentias sibi sumpsisse videntur quam poetae christiani quarti saeculi et Avienus.

Caput VI. De dactylis et spondeis in singulos pedes distributis.

De grammaticorum praeceptis.

Iam subtiliores leges hexametri aggressi de dactylis et spondeis in singulos pedes distributis et de diaeresibus quaeramus. Diomedes (p. 495, 26) in capite cui de pulchritudine heroici versus inscribitur, et Marius Victorinus (p. 70, 20—71, 32) eum versum pulcherrimum esse contendunt, in quo fines singulorum pedum et vocabulorum non consentiant, id quod apud graecos metricos simili modo scriptum invenitur[1]. etiam quod grammatici latini docent dactylum et spondeum indifferenter in quacumque versus sede reperiri, ex graecis libris perscriptum est[2]. solus Diomedes (p. 496, 1) illo in capite tradit, in tertio pede spondeum magis placere quam dactylum. hoc vero proprium est latini, non graeci versus. nam ex quaestionibus quas Drobisch (Über die Unterschiede in der Grundanlage des lat. u. griech. Hexameters, in Ber. der sächs. Ges. Lips. 1873

---

1) cf. schol. Hephaest. p. 353, 1 (Consbr.).

2) Mar. Vict. p. 70, 28; Atil. Fort. p. 284, 12; al. cf. schol. Hephaest. p. 282, 18 (C.).

p. 9, 27, 30) instituit, apparet, in hexametro Homeri, Theognidis et aequalium, Dionysii Periegetae, Nonni dactylum praeter quintum pedem maxime in tertio pede locum habere. apud Aratum et Theocritum dactylus paulo saepius in quarto quam in tertio pede occurrit. sed apud omnes hos poetas dactylus in primum et alterum pedem multo minus convenit quam in tertium.

De Avieni consuetudine.

Nostra aetate de dactylorum et spondeorum distributione Mauricius Drobisch (in Ber. der sächs. Ges. Lips. 1866, 1868, 1871, 1872, 1873), vir doctus et philosophus et mathematicus, amplissimas quaestiones instituit. cuius observationes in vastis tabulis dispositas ad Avieni artem cognoscendam hic desiderari nolo. Drobisch sedecim formas hexametri statuit, prout quattuor primi pedes versus aut dactyli (*d*) sunt aut spondei (*s*). hanc rationem secutus quaeram, quotiens singulae illae formae in Avieni carminibus occurrant. invenitur:

forma	in carminis II versibus		forma	in carminis III versibus	
	1878enis	100enis		1393enis	100enis
dsss	244iens	13,0iens	*dsss*	205iens	14,72iens
dssd	206	10,97	*dssd*	178	12,79
ddss	174	9,26	*dsds*	139	9,98
dsds	173	9,21	*ddss*	120	8,61
ddsd	137	7,3	*sdss*	109	7,82
dsdd	122	6,5	*sdsd*	101	7,25
sdss	118	6,28	*dsdd*	98	7,04
sdsd	110	5,86	*ddsd*	96	6,89
ddds	104	5,54	*sdds*	69	4,95
sdds	103	5,48	*ddds*	57	4,09
ssss	84	4,47	*ssss*	56	4,02
dddd	71	3,78	*sssd*	42	3,02
ssds	65	3,46	*ssds*	39	2,8
sssd	64	3,41	*sddd*	38	2,73
sddd	58	3,09	*dddd*	26	1,87
ssdd	45	2,34	*ssdd*	20	1,44

inde facile computatur, quotiens in singulis pedibus dactylus, quotiens spondeus inveniatur. occurrit:

in pede	in carmine II				in carmine III			
	d		s		d		s	
1.	1231iens	(65,5) [1]	647iens	(34,5)	919iens	(65,97)	474iens	(34,03)
2.	875	(46,6)	1003	(53,4)	616	(44,22)	777	(55,78)
3.	741	(39,5)	1137	(60,5)	486	(34,89)	907	(65,11)
4.	813	(43,3)	1065	(56,7)	599	(43,0)	794	(57,0)
1—4.	3660	(48,72)	3852	(51,28)	2620	(47,02)	2952	(52,98)

videmus igitur in utroque carmine spondeorum numerum dactylos paululo tantum superare spondeus maxime in tertio pede praegravat, sequitur quartus, deinde alter pes. dactylus frequentissime in primo pede invenitur. omnino in altero carmine paulo plures dactyli occurrunt quam in tertio. haec varietas ad alterum tantum et tertium pedem pertinet. his enim in pedibus dactylus rarius in tertio quam in altero carmine legitur. consentiunt vero carmina in primo et quarto pede formato, tantum quod in tertio carmine primus pes, in altero carmine quartus pes aliquantulo saepius dactylum comprehendit.

De ceteris poetis.

Iam ut Avienus cum ceteris poetis comparetur, numeros proponam, quibus Drobisch (commentationis an. 1866 ed. p. 130, 1868 p. 31) consuetudinem Vergilii, Ovidii, Lucani, Valerii Flacci, Claudiani, quibus Krenkel (p. 35) Prudentii, Huemer (p. 36) Paulini consuetudinem describit, nec non ceteros poetas recentiores adiungam.

In centenis versibus dactylum posuerunt:

	in pede			
	1	2	3	4
Verg. (ecl.)	65,0iens	51,3iens	39,8iens	37,2iens
„ (ge.)	63,6	45,8	37,5	30,0
„ (Aen.)	60,8	48,2	39,9	25,6
Ovidius	83,2	47,8	43,2	47,3
Lucanus	66,6	45,4	43,2	27,5

1) numero uncis incluso indicatur, quotiens dactylus sive spondeus in centenis versibus occurrat.

	in pede			
	1	2	3	4
Valer. Flacc.	80,0	46,1	52,3	34,7
Iuvenc. I 1–500	57,0	44,6	36,2	23,0
auctor laud. Dom.	52,0	49,3	39,9	31,1
„ de Sod. et de Iona . . .	60,7	50,4	50,4	31,6
Damasus	71,9	60,2	47,6	35,6
auctor ad quend. senat.	70,6	55,3	34,1	41,2
adv. Marc. I, II	56,2	48,5	40,5	29,2
Prudent. ap. 1–560	59,8	47,2	39,3	26,6
Avien. II	65,5	46,6	39,5	43,3
„ III	65,97	44,2	34,89	43,0
Claud. XXXIII, XXXV	65,7	49,1	45,5	19,3
Symphos.	74,4	46,2	31,1	33,7
Avianus	63,9	41.0	34,9	22,3
Auson. (Mos.)	60,5	48,9	43,7	45,8
Paulin. Nol.	70,1	54,3	48,7	38,8

inde perspicitur saepissime in primo pede Ovidium dactylum adhibuisse; prope ad eum accedunt Valerius, Damasus, Symphosius, Paulinus. satis multos dactylos etiam Avienus in hoc pede posuit, cui convenit fere cum Vergilio in ecl., Lucano, Claudiano. in altero et tertio pede formando Avieni consuetudo a plerisque non differt. sed in quarto pede id potissimum observare licet, Avienum frequentissime omnium dactylum posuisse, Ovidio solo et recentiorum Ausonio excepto. hoc in pede spondeus maxime praegravat apud Claudianum fere et Avianum.

Caput VII. De primo et quarto pede hexametri.

Postquam Drobisch quaestiones suas in publico proposuit, Theodorus Birt, qui cognovit, cardinem quaestionis in vocabulorum in versu collocatione verti, magno cum fructu de diaeresibus post primum et quartum pedem factis quaesivit. Ostendit enim, vocabulum spondiacum perraro in latini hexametri primo pede positum multo saepius in quarto pede occurrere; sed poetas, quo magis artem expolissent, eo magis tale vocabulum ex his pedibus eiecisse (p. 39, 48, 52, 54, cf. p. 18). vocabulum vero dactylicum multo saepius in primum pedem

quam in quartum admiserunt. tamen etiam tale vocabulum apud poetas elegantissimos Vergilium et Tibullum rarescere idem vir doctus invenit (p. 40, 48). in Ovidii tantum versibus volubilioribus vocabulum dactylicum paulo magis locum habet (p. 53 sq.).

De grammaticorum praeceptis.

Quamquam diacreses versum latinum non decent, id quod etiam Diomedes et Marius Victorinus contendunt[1]), plerique grammatici magno cum studio de versu, quem dicunt bucolicum, egerunt, cuius post quartum pedem vocabulum finiri volunt, ita quidem ut hic pes sit dactylus; eandem legem Donatus in primum pedem transtulit (Terentianus 2123—2134; Sacerdos p. 506, 7—11; 512, 24—26; Diomedes p. 495, 15 sq.; Marius Victorinus p. 114, 17—115, 4; Donatus apud Servium in Verg. ecl. prooem. p. 2, 8 (Thilo); Servius in ecl. prooem. p. 2, 5; de cent. metr. p. 461, 12; Atil. Fortunatianus p. 292, 18; cf. etiam huius diss. p. 66). sed ut grammatici ipsi adnotare solent, Theocritum versui bucolico studuisse, Vergilium eum reiecisse[2]), ita omnia haec praecepta non ad versum latinum sed ad graecum pertinent. deinde iam apparet, ea ex ipsis grammaticorum graecorum libris petita esse, quorum vestigia passim animadvertuntur. itaque grammatici ad naturam pedis primi et quarti versus latini perspiciendam nihil adiuvant.

De Avieni consuetudine.

Apud Avienum[3]) in altero carmine invenitur in primo pede 545^{iens} vocabulum dactylicum, 68^{iens} vocabulum spondiacum; eundem pedem dactylicum 190^{iens}, spondiacum 140^{iens} duo vocabula explent. Post hunc pedem omnino 168^{iens} interstitium sensus incidit, ita quidem, ut huic interstitio 145^{iens} vocabulum dactylicum, 21^{iens} duo vocabula, quae dactylum efficiunt, bis vocabulum spondiacum antecedat. in carmine tertio primum pedem, qui est dactylus, 382^{iens} unum vocabulum,

---

1) cf. p. 51.

2) Terentian. 2127; Mar. Vict. p. 114, 23; Serv. in ecl. prooem. p. 2, 10 (Th.); Atil. Fortun. p. 292, 21.

3) haec omnia p. 56 sq. tabula describentur.

168iens duo vocabula, qui est spondeus, 74iens unum vocabulum, 89iens duo vocabula occupant. 108iens finis sententiae hunc pedem sequitur, qui semper dactylicus 93iens unum vocabulum, 15iens duo vocabula comprehendit.

Iam in quarto pede hexametri in altero carmine 150iens vocabulum dactylicum, 129iens exitus vocabuli dactylicus, 211iens vocabulum spondiacum, 243iens exitus vocabuli spondiacus invenitur; quartam arsin 312iens vocabulum pyrrichium, 162iens monosyllabum productum occupat. sententiae interstitium in diaeresi bucolica 190iens occurrit, cui 62iens vocabulum dactylicum, 47iens exitus vocabuli dactylicus, 74iens vocabulum pyrrichium, bis vocabulum spondiacum, semel exitus vocabuli spondiacus, ter monosyllabum productum antecedit. in tertio carmine idem pes versus 83iens vocabulum dactylicum, 92iens exitum vocabuli dactylicum, 154iens vocabulum spondiacum, 239iens exitum vocabuli spondiacum comprehendit; in arsi quarta 311iens vocabulum pyrrichium, 75iens monosyllabum productum legitur. in diaeresi quarta 191iens sententiae interstitium occurrit, ante quod 47iens vocabulum dactylicum, 39iens exitus vocabuli dactylicus, 104iens vocabulum pyrrichium extat, semel tantum exitus vocabuli spondiacus.

Omnes has res, ut facilius comparari possint, in tabula proponam. invenitur igitur:

			in carminis II versibus		in carminis III versibus	
			1878enis	100enis	1393enis	100enis
1. pes	dactylicus expletus	uno vocabulo	545iens (145iens) 1)	29,02iens (7,72iens)	382iens (93iens)	27,42iens (6,68iens)
		duobus vocabulis	190 (21)	10,0 (1,12)	168 (15)	12,06 (1,08)
	spondiacus expletus	uno vocabulo	68 (2)	3,62 (0,11)	74 (0)	5,31 (0)
		duobus vocabulis	140 (0)	7,45 (0)	89 (0)	6,39 (0)

1) numero uncis incluso significavi, quotiens sensus interstitium sequatur.

			in carminis II versibus		in carminis III versibus	
			1878enis	100enis	1393enis	100enis
4. pes	dactylicus expletus	uno vocabulo	150 (62)	7,99 (3,30)	83 (47)	5,96 (3,37)
		exitu vocabuli	129 (47)	6,87 (2,50)	92 (39)	6,6 (2,8)
		syllaba finali atque vocabulo pyrrichio	312 (74)	16,61 (3,94)	311 (104)	22,33 (7,47)
	spondiacus expletus	uno vocabulo	211 (2)	11,24 (0,11)	154 (0)	11,06 (0)
		exitu vocabuli	243 (1)	12,94 (0,05)	239 (1)	17,16 (0,07)
		syllaba finali atque vocabulo monosyllabo	162 (3)	8,63 (0,16)	75 (0)	5,38 (0)

Itaque in primo pede dactylicum potissimum vocabulum locum habet, spondiacum longe recedit. in quarto pede vocabulum spondiacum et finis vocabuli spondiacus multo saepius invenitur, quam vocabulum dactylicum et finis vocabuli dactylicus.

Sed si carmina conferimus, in primo pede dactylicum vocabulum saepius invenitur in altero (29,02%) quam in tertio (27,42%) carmine, spondiacum vocabulum saepius in tertio (5,31) quam in altero (3,62) carmine. eodem modo in quarto pede dactylicum vocabulum saepius invenitur in altero (7,99) quam in tertio (5,96) carmine, spondiacum vocabulum vix saepius in altero (11,24) quam in tertio (11,06), exitus vocabuli dactylicus saepius occurrit in altero (6,87) quam in tertio (6,6) carmine, exitus vocabuli spondiacus multo rarius in altero (12,94) quam in tertio (17,16) carmine. alia ex parte primus et quartus pes, si non uno vocabulo aut exitu vocabuli occupatur, dactylus est in altero (10,0 et 16,61) carmine rarius quam in tertio (12,06 et 22,33), spondeus est in altero (7,45 et 8,63) carmine saepius quam in tertio (6,39 et 5,38).

Haec omnia non casu facta certam rationem indicant. p. 53 vidimus, pedem primum et quartum totiens fere in altero

carmine dactylum esse quotiens in tertio. Avienus vero, quamquam ei in singulorum carminum pede primo et quarto componendo idem fere numerus syllabarum productarum et correptarum praesto erat, vocabula ita distribuit, ut pes primus et quartus in altero carmine saepius quam in tertio vocabulum dactylicum, rarius quam in tertio carmine vocabulum spondiacum comprehenderet. alia quidem ex parte hi pedes in altero saepius quam in tertio carmine monosyllabo producto, rarius quam in tertio vocabulo pyrrichio finiuntur. si autem pedes primus et quartus duobus vocabulis monosyllabis occupantur, diaeresis, quae post hos pedes incidit, multo minus effertur, quam si uno vocabulo aut fine vocabuli spondiaco comprehenduntur. tunc vero potissimum quartus pes monosyllabo producto finitus nequaquam offendit, cum in quarta thesi vocabuli finis extat, cuius accentus grammaticus a metrico dissentit. hoc vel inde intellegitur, quod non nisi talem post quartum pedem spondiacum sensum claudere licebat[1]). itaque primus et quartus pes spondiacus, qui in monosyllabam vocem desinit, melius sonat et minus languide fluit quam uno vocabulo expletus. ita videmus factum esse, ut pes primus et quartus in altero carmine Avieni multo elegantius atque venustius componeretur quam in tertio carmine, quamquam eadem syllabarum copia poetae praesto erat.

Dehinc **de sensus interstitio** post primum vel quartum pedem posito quaeramus. 276iens sententia post primum pedem clauditur, qui pes bis tantum spondeus est. sed his duobus in versibus vocabulum spondiacum in primo pede positum synalipha cum vocabulo sequente coniungitur, ita ut accentus grammaticus cum metrico non consentiat:

II 1410 . . . *vis hoc cum fudit in auras*
venarum, occulte patulo praetexitur agro;
1688 . . . *rutilarum spargere crines*
flammarum et longos a tergo ducere tractus.

in versu II 1320 *credo, ni desit* e. q. s. p. 12 sq. vidimus scribendum esse *credere.* — in versu II 1668 sq. Winterfeld

1) cf. p. 59 sq.

(diss. p. 31, Beitr. p. 25) editionem principem secutus scribere voluit:

at regione noti si lucem stella senescat
segnis, Riphaeis aquilo crepitabit ab oris.

hoc iam nullo modo defendi potest, sed codicis Ambrosiani lectio servanda est: *saevus Riphaeis aquilo* e. q. s.

In diaeresi bucolica 381^{iens} sententia finitur, ita ut septiens spondeus antecedat:

II 602 *Vergilias cerni tenet usus, sed simul omnis*
artavere globum.
1590 *ut coeunt radii nebuloso! cetera quippe*
pars Hyperioniae rutilat facis hicque comarum
vis confusa micans mundo sua lumina praestat.

qui versus 1590 num recte legatur vel distinguatur valde dubito [1].

III 1319 *palantes obeunt beryllum, prona fluenta*
1320 *quem procul internis a finibus, aut adamanta*
detulerint.

neque hoc in versu codices consentiunt.

II 28 *sufficit alterno res semine. rerum opifex hic,*
hic altor rerum, rex mundi, celsa potestas e. q. s.

hic locus secundum Ovidii exemplum formatus quandam veniam habet. ille enim scribit (met. I 78):

. . . *sive hunc divino semine fecit*
ille opifex rerum, mundi melioris origo.

nequaquam huc referendus est versus 1062

quae procul Oceano consurgunt, signa notato.

hic enim ideo non offendit, quia vocabulum *signa* non minus ad antecedentia quam ad sequentia pertinet.

Aliter res se habet in versibus:

II 870 *certior ast ollis veniet spes, axe supremo* e. q. s.;
918 *adverso solis radiis ceu, cum vada cumbam* e. q. s.,

quo in versu vocabulum *ceu* artius cum sequentibus quam cum antecedentibus cohaeret;

1146 *hoc* (codd.: *haec*) *sidus revehunt chelae; crus scorpius ipse,*
cetera cum medio, e. q. s.,

---

1) cf. Arat. 840 sq. *εἰ δέ οἱ ἢ ἀνιόντος ἢ αὐτίκα δυομένοιο ἀκτῖνες συνίωσι καὶ ἀμφ' ἑνὶ πεπλήθωσιν,* e. q. s.

quem locum Winterfeld (diss. p. 30 sq.) recte sine dubio secundum Aratum et lectionem codicum ita restituit:

haec sidus revehunt: chelae crus, scorpius ipse
cetera cum medio, laevam et caput oraque rursum
arcus agit.

iam Homerus ante caesuram bucolicam non saepius vocabulum spondiacum quam monosyllabum productum collocavit[1]). poetae vero Alexandrini spondeum in quartum pedem ante caesuram admittere prorsus noluerunt, nisi monosyllabum quartam arsin expleret[2]).

Id iam monere liceat, post primum pedem saepius in altero quam in tertio carmine, post quartum pedem multo saepius in tertio quam in altero carmine sensus interstitium occurrere. quarti pedis formandi tota fere varietas inde oritur, quod in tertio carmine sensus interstitium tanto saepius post vocabulum pyrrichium positum est.

De ceteris poetis.

Iam ut Avienus cum ceteris poetis comparetur, primum quaeramus, quotiens singuli in primo et quarto pede vocabulum sive exitum vocabuli dactylicum, quotiens spondiacum posuerint. invenitur[3]):

in	in 1. pede vocabulum		in 4. pede vocab. sive exitus vocab.	
	dact. semel in versibus	spond. semel in versibus	dact. semel in versibus	spond. semel in versibus
Cic. Arat.[4])	$8\frac{1}{4}$enis (64)	$10\frac{1}{3}$enis (51)	$27\frac{7}{10}$enis	$2\frac{1}{2}$enis
Catull. LXIV	5 (77)	28 (16)	17	$2\frac{1}{7}$
Propert. III	15 (34)	$11\frac{1}{2}$ (47)	$16\frac{1}{3}$ (31)	$5\frac{1}{4}$ (96)
Hor. epist. II 1	$7\frac{5}{7}$ (35)	16 (17)	$13\frac{1}{2}$ (20)	$4\frac{11}{20}$ (59)
Verg. ecl.	$5\frac{13}{30}$ (150)	22 (37)	$8\frac{13}{15}$ (92)	$7\frac{1}{3}$ (111)
„ ge.	$6\frac{1}{2}$ (123)	$34\frac{3}{4}$ (23)	$16\frac{2}{3}$ (48)	8 (100)
„ Aen. I	$7\frac{1}{2}$ (133)	$33\frac{1}{3}$ (30)	$26\frac{1}{3}$ (38)	$9\frac{3}{7}$ (106)

1) cf. I. La Roche, in Zs. f. d. österr. Gymn. XLVI (1895) p. 577.

2) cf. Naeke, in Mus. Rhen. III (1835) p. 516.

3) hac tabula indicatur, in quotenis versibus semel tale vocabulum occurrat; numero uncis incluso summa exemplorum significatur.

4) numeros, qui ad poetas veteres pertinent, ex Birtii libro, qui ad Paulinum Nol. pertinent, ex Huemeri libro (p. 61) petivi.

in	in 1. pede vocabulum				in 4. pede vocab. sive exitus vocab.			
	dact. semel in versibus		spond. semel in versibus		dact. semel in versibus		spond. semel in versibus	
Tibull. I	$16^{7}/_{8}$enis	(24)	$20^{1}/_{4}$enis	(20)	24enis	(17)	7enis	(59)
Ovid. met. I	$4^{1}/_{3}$	(179)	$55^{2}/_{5}$	(14)	$10^{1}/_{9}$	(77)	$7^{1}/_{2}$	(103)
Calpurn. ecl.	$3^{7}/_{8}$	(196)	$34^{1}/_{2}$	(22)	$5^{19}/_{27}$	(134)	$5^{3}/_{7}$	(140)
Iuvenc. I	$5^{9}/_{10}$	(130)	$12^{2}/_{5}$	(62)	$19^{1}/_{4}$	(40)	6	(129)
carm. Laud. Dom.	$9^{9}/_{10}$	(15)	$29^{3}/_{5}$	(5)	$8^{7}/_{10}$	(17)	$4^{9}/_{10}$	(30)
de Sod. et de Iona	$5^{1}/_{4}$	(52)	$11^{4}/_{5}$	(23)	$11^{4}/_{5}$	(23)	$7^{7}/_{20}$	(37)
Damas.	$4^{1}/_{10}$	(87)	$32^{1}/_{2}$	(11)	$23^{4}/_{5}$	(15)	$13^{1}/_{5}$	(27)
ad quend. senat.	$7^{3}/_{4}$	(11)	$28^{1}/_{3}$	(3)	$7^{1}/_{12}$	(12)	$6^{1}/_{14}$	(14)
adv. Marc. I, II	$5^{3}/_{5}$	(91)	$11^{3}/_{5}$	(44)	$14^{1}/_{5}$	(36)	$5^{1}/_{5}$	(98)
contra pag.	$3^{4}/_{5}$	(32)	61	(2)	61	(2)	$7^{3}/_{5}$	(16)
Prudent. ap.	$5^{2}/_{5}$	(201)	$19^{7}/_{10}$	(55)	$10^{1}/_{2}$	(103)	$6^{1}/_{10}$	(178)
„ ham. 1–500	$4^{3}/_{4}$	(105)	$21^{3}/_{4}$	(23)	$11^{1}/_{10}$	(45)	6	(83)
„ in Sym. I 1–500	$5^{1}/_{4}$	(95)	$27^{4}/_{5}$	(18)	$12^{4}/_{5}$	(39)	$7^{1}/_{4}$	(69)
„ „ II 1–500	$5^{4}/_{10}$	(92)	$15^{3}/_{20}$	(33)	$11^{1}/_{10}$	(45)	$8^{1}/_{3}$	(60)
Avien. II	$3^{9}/_{20}$	(545)	$27^{3}/_{5}$	(68)	$6^{3}/_{4}$	(279)	$4^{3}/_{20}$	(454)
„ III	$3^{13}/_{20}$	(382)	$18^{4}/_{5}$	(74)	$7^{9}/_{10}$	(175)	$3^{4}/_{5}$	(393)
Claud. XXII	$4^{7}/_{10}$	(101)	$21^{3}/_{5}$	(22)	$17^{3}/_{5}$	(27)	$6^{1}/_{4}$	(76)
Symphos.	6	(52)	$11^{1}/_{7}$	(28)	$31^{1}/_{5}$	(10)	$6^{4}/_{5}$	(46)
Avian.	$5^{1}/_{3}$	(61)	$12^{1}/_{10}$	(27)	$25^{3}/_{20}$	(13)	$3^{19}/_{20}$	(83)
Auson. Mos.	$5^{1}/_{4}$	(92)	23	(21)	$6^{7}/_{10}$	(72)	7	(69)
Paulin. Nol.	$8^{1}/_{4}$	(841)	$40^{6}/_{45}$	(173)	9	(772)	$5^{1}/_{4}$	(1321)

Ovidius vocabulum spondiacum in primo et quarto pede positum maxime fere omnium vitavit, vocabulum dactylicum valde amavit. Avienus[1]) vocabulum spondiacum non vitavit, verum in quarto pede etiam saepius quam omnes fere ceteri posuit. sed alia ex parte vocabulum dactylicum magno cum studio his in pedibus, praecipue in quarto pede collocavit. convenit ei fere cum Vergilio in ecl., Calpurnio, bucolicorum scriptoribus. sed etiam Prudentio, Ausonio, Paulino vocabulum dactylicum in primo et quarto pede ponere placuit. Claudianus vero et Symphosius et Avianus in primum quidem pedem tale vocabulum saepius admiserunt, sed in quarto pede valde vita-

1) in rebus computandis Avieni carmen alterum potissimum in quaestionem vocabo, quod hoc ex carmine perfectiorem artem metricam cognovisse nobis videmur.

verunt. etiam apud ceteros poetas quarti saeculi vocabulum dactylicum satis saepe in primo pede positum invenitur.

Hae res arte cohaerent cum **sensus interstitio** post primum et quartum pedem posito, de quo nunc amplius quaerendum erit. interstitium sententiae invenitur:

in	post 1. pedem			post 4. pedem		
	semel in versibus	qui est dact.	qui est spond.	semel in versibus	qui est dact.	qui est spond.
Lucret. I	$21\frac{1}{5}$enis	31iens	21iens	$32\frac{1}{2}$enis	16iens	18iens
Horat. epist. II				$9\frac{1}{6}$	72	33
Verg. ecl.[1]	$12\frac{3}{5}$	60	6	$15\frac{1}{13}$		
Verg. ge. III, IV	$13\frac{1}{12}$	73	9	$47\frac{1}{6}$	24	0
„ Aen. I, IX				$65\frac{9}{20}$		
Ovid. met. I	20	39	0	60	13	0
„ II	$15\frac{3}{5}$	55	1	$54\frac{7}{10}$	16	0
„ III				$40\frac{4}{5}$	17	0
„ IV				$50\frac{1}{5}$	12	4
„ V				$27\frac{3}{25}$	25	0
„ X				$24\frac{3}{5}$	29	1
„ XI				$31\frac{1}{12}$	25	0
„ XII				$69\frac{4}{5}$	7	2
Calpurn. I, II	$11\frac{2}{5}$	17	0	$16\frac{1}{6}$		
Nemes. ecl. I, II	$12\frac{3}{5}$	14	0	$88\frac{1}{2}$		
Porfyr.	$31\frac{3}{4}$	16	5	$15\frac{1}{6}$	21	23
Iuvenc.	$20\frac{3}{5}$	136	20	$160\frac{1}{2}$	11	9
de Sod. et de Iona	$20\frac{9}{10}$	10	3	34	7	1
Damas.	$89\frac{1}{4}$	3	1	$44\frac{3}{5}$	7	1
ad quend. senat.	85	1	0	$21\frac{1}{4}$	4	0
adv. Marc.	$86\frac{2}{3}$	13	2	$36\frac{1}{10}$	18	18
Prudent.	$14\frac{3}{20}$	343	14	$24\frac{2}{5}$	175	32
contra pag.	122	1	0	122	0	1
Avien. II	$11\frac{1}{9}$	167	2	$9\frac{9}{10}$	183	6
„ III	$12\frac{9}{10}$	108	0	$7\frac{3}{10}$	190	1
Claud. I	$8\frac{2}{3}$	30	2	279	1	0
„ V	$9\frac{9}{10}$	51	2	$263\frac{1}{2}$	2	0
„ X				341	1	0
„ XXI				$192\frac{1}{2}$	1	1
„ XXII				238	2	0
„ XXIV				123	3	0
„ XXVII					1	0

1) quae de quarto pede a Vergilio (ecl., Aen. I, IX), Calpurnio, Nemesiano formato proposui, ex Mülleri libro (p. 216) petita sunt.

in	post 1. pedem			post 4. pedem		
	semel in	qui est		semel in	qui est	
	versibus	dact.	spond.	versibus	dact.	spond.
Claud. XXVIII				110	5	1
„ XXXIII	9 3/5	29	1	144	2	0
„ XXXV	9 1/15	39	2	186	2	0
„ XXXVI	10 1/6	43	1	112	4	0
„ LIII				64	2	0
Symphos.				105	3	0
Avian	[20 2/5	16	0] 1)	81 3/4	4	0
Rutil. Namat.	[50 6/7	4	3] 1)	356	0	1
carm. de ponder.				52	4	0
„ de fig.	93	1	1	10 9/10	5	12
Auson.	21 3/4	(42	5) 2)	19 2/5	145	21
Paulin. Nol. XIX	12 4/5	54	3	19 1/5	30	8
Claud. Mar. Victoris praef. et I				134 3/5	3	2
Paulin. Petric. I	21 2/5	16	2	35 1/10	8	3
Paulin. Pell.				51 1/3	10	2
Cyprian. Gall. I				166 2/5	4	5
in genesin	33 1/2	5	1	18 1/4	8	3
de mart. Maccab.	39 2/5	10	0	78 4/5	4	1
de evang.	114	1	0	28 1/2	3	1
Priscian. de laude A. i.				312	0	1
„ perieg.				36 1/4	10	20

Post primum pedem poetae carminum bucolicorum, Vergilius in ecl. et ge., Calpurnius, Nemesianus, sententiam saepius finierunt, nec non Ovidius, Iuvencus, Prudentius, Ausonius, Paulinus Nol. hoc sibi permiserunt. Avienus eandem fere quam Calpurnius rationem secutus est, saepius etiam Claudianus hoc loco distinxit. post quartum pedem Ovidius interdum sententiae clausulam admisit; saepius etiam Vergilius in ecl., Calpurnius, saepissime vero Avienus hanc licentiam sibi sumpsit, neque Prudentius, Ausonius, Paulinus Nol. tantopere recedunt. plane vero Claudianus, Symphosius, Avianus, Rutilius hoc sensus interstitium vitaverunt. Horatius, Porfyrius, auctor

1) hi numeri ad pentametrum pertinent.

2) haec 47 exempla occurrunt in carminibus Mos., ecl. II—IX, cup. cr., epist. V, XIV, XXII (1021 versus).

carminis de figuris, quamquam in numeris cum Avieno fere consentiunt, vix huc referri possunt, quia quarti pedis legem non observaverunt.

Plerique enim poetae sensus interstitio, quod in prima et quarta diaeresi occurrit, dactylum quam spondeum antecedere maluerunt. ita factum est, ut iidem fere poetae, qui post primum sive quartum pedem sensum finire soliti sunt, his in pedibus vocem dactylicam ponere mallent. haec lex, quae apud Lucretium et Horatium vixdum valet[1]), postea a paucis tantum neglegitur: a Porfyrio, Iuvenco, auctore carminis adv. Marcionem, auctore carminis de figuris, Cypriano Gallo, Prisciano; neque ceteri eam pari studio observaverunt. sed Avienus omnes fere elegantia superat, qui quamquam saepius quam ceteri sensus interstitium post primum et quartum pedem posuit, tamen non saepius quam elegantissimus quisque spondeum in hos pedes admiserit.

Iam non est dubium, quin haec diaeresis bucolica, in quam dactylo antecedente sensus interstitium incidit, ad poetarum graecorum Homeri et Alexandrinorum caesuram bucolicam referenda sit. nam ab hexametro latino interstitium sensus in quarta diaeresi positum omnino alienum esse, Müller (p. 216) ostendit. Vergilius vero Theocriti carmina bucolica imitatus illi Alexandrinorum incisioni paulo maiorem locum in versibus suis concessit. dehinc quarto saeculo, qua aetate grammaticos latinos versum bucolicum valde curasse vidimus, apud nonnullos poetas eadem incisio graeca magna auctoritate floruit. hoc tantum inter incisionem bucolicam poetarum Alexandrinorum et Romanorum intercedere videtur, quod illi quartum pedem dactylum esse volebant, quotiens diaeresis sequeretur, hi tunc tantum eam legem observabant, cum in hac diaeresi sensus interstitium occurreret. iam forsitan aliquis arbitretur, Romanos ut Alexandrinos huic incisioni bucolicae vim caesurae cuiusdam metricae tribuisse. sed apud Romanos in quarto pede plane eadem lex quae in primo valet. in prima vero diaeresi de ulla caesura cogitari non potest. itaque hoc iam statuere licet, legem illam, qua praecipitur, ut primus et

---

1) cf. Sylla p. 59.

quartus pes sit dactylus, apud Romanos solum ad sensus interstitium i. e. ad rem grammaticam, sed nullo modo ad rem metricam pertinere[1]).

Caput VIII. De caesuris.

De grammaticorum praeceptis.

Terentianus (1669—1718), cuius praecepta Apthonius (Mar. Vict. p. 64, 30 — 66, 3) perscribit, quattuor caesuras: semiquinariam, semiseptenariam, tertiam trochaicam, quartam trochaicam, enumerat. eandem rationem Servius (de cent. metr. p. 457, 9) spectare videtur. Serg. (in Don. p. 523, 11) et auctor fragmentorum Sangallensium (p. 638, 6) quinque caesuras: semiquinariam, semiseptenariam, tertiam trochaicam, quartam trochaicam, bucolicam, Iulius Severus (p. 645, 25) quattuor caesuras: semiquinariam, semiseptenariam, tertiam trochaicam, bucolicam, proponunt. sed omnes grammatici adhuc allati ea in re consentiunt, ut semiquinariae et semiseptenariae solis vim caesurarum tribuant, reliquas nihil valere velint. auctor commentationis cui inscribitur de finalibus metrorum (p. 240, 1—10) et Priscianus (II p. 460, 13) tres caesuras: semiquinariam, tertiam trochaicam, semiseptenariam, primarias habent; quibus caesuras minus validas hic bucolicam, quartam trochaicam, aliam quandam [2]), ille solam bucolicam addit. Atilius Fortunatianus (p. 284, 25) vero solam semiquinariam et tertiam trochaicam affert. Diomedes (p. 497, 4) quattuor quidem caesuras enumerat: semiquinariam, tertiam trochaicam, semiseptenariam, quartam quandam; sed de earum vi nullo modo diiudicat, neque quarta quidem caesura utrum trochaica an dactylica an spondiaca habenda sit cognovit.

Haec omnia non ad versum latinum pertinent; nam apud poetas Romanos post Vergilii aetatem caesura semiseptenaria non iam per se stat, semiternaria quae a grammaticis prorsus non commemoratur [3]), desiderari non potest. tertia et quarta

---

1) cf. p. 72.

2) p. 460, 14: „quarta enim bucolica magis passio est, sicut hemiepes et quarta trochaica et quae inveniuntur per singulos pedes.“ Priscianus caesuram quandam in tertia diaeresi positam versus Priapei spectare videtur.

3) hanc caesuram primus Ausonius (cent. nupt. praef.) commemorat; cf. Huemer p. 45 et 49.

trochaica nullius fere momenti sunt. caesura quaedam bucolica, quae semiquinariam iuvet, in hexametro latino desiderari non potest. sed quae ab illis grammaticis affertur bucolica, cui dactylum antecedere necesse est[1]), apud Romanos nulla est. satis apparet, illa grammaticorum praecepta non solum ad graecum versum pertinere, in quo semiquinaria, tertia trochaica, semiseptenaria caesurae per se stant nec non bucolica illa valet, sed etiam ex graecorum metricorum libris descripta esse. consentit vero ratio caesurarum, quam graeci proponunt[2]), atque ex fontibus graecis etiam multa illa nomina graeca fluxerunt, quae occurrunt. tamen nonnulli quidem grammatici operam dederunt, ut praecepta graecorum ad latinum versum accommodarent, Terentianum dico, Apthonium, Servium, Sergium, auctorem fragmentorum Sangallensium, Iulium Severum, qui semiquinariam et semiseptenariam caesuras solas valere contenderent[3]). sed ne hi quidem propriam vim, quae caesuris primariis sive subsidiariis in versu latino tribuenda sit, intellexerunt. itaque ad caesurarum rationem cognoscendam, grammaticorum praeceptis relictis poetae ipsi nobis inspiciendi erunt, atque primum quaerendum erit, quam rationem in caesuris statuendis sequi debeamus.

Quae ratio in caesuris statuendis adhibenda sit.

A. De syllaba ancipiti.

Syllabam ancipitem et hiatum ad caesuram statuendam non sufficere, p. 16 sq. vidimus, cum sola thesis vi poetae syllabam brevem producere soliti sint.

B. De voce monosyllaba.

Deinde ut in exeunte versu ita ante caesuram vox monosyllaba displicebat. tamen apud plerosque poetas versus occurrunt, quales hi sunt Avieni:

II 475 *cornipedis, simul hunc lux indiscreta retentat,*
498 *pastores. strepit haec placido inter saxa susurro,*

1) cf. Diom. p. 498, 1; Iul. Sev. p. 645, 30; cf. etiam huius dissert. p. 55.

2) cfs. velim e. g. quod schol. Hephaest. (p. 328, 15 (C.)) tradit.

3) cf. Müller p. 209 sqq.

551 *pone avidus iacet in notialia nubila pronus,*
577 *longaevo, sex se rutila inter sidera tantum,*
696 *cum redit a pelagọ ac movet in convexa volatụm*[1]),
711, 1006, 1009, 1575, III 364, 392, 484. invenitur etiam quater monosyllaba vox posita ante caesuram semiternariam in versibus:

II 87 *aetheris, ut stilus instabili convolvitur orbi,*
864 *clarior! hoc nam saepe notum praenoscere signo,*
953 *sunt capita, hic genua aurigae defixa quiescunt,*
III 1104 . . . *adluit aestus*
Persicus hanc, Arabumque sinus rigat aequore terram.

Legitur etiam pessimus ille versus II 1366, ante cuius caesuram semiternariam vox monosyllaba posita cum arsi sequente synalipha coniungitur:

nam qui solem hiberna novem putat aethere volvi,
ut lunae spatium redeat, vetus Harpalus, ipsam
ocius in sedes momentaque prisca reducit.

ita Hugo Grotius (Arateorum syntagma, Lugd. Bat. 1600) versum 1366 scripsit. traditur in cod. Vind.: *Nãq. solon,* in Ambr.: *Nanqꝫ solon,* in ed. pr.: *Nam quœ solem.* quae librorum lectiones necessario lectionem egregiam *namque Solon* ostendere mihi videntur. quam si restituerimus, distinguendum erit:

namque Solon hiberna novem putat aethera[2]) *volvi,*
ut lunae spatium redeat. vetus Harpalus ipsam
ocius in sedes momentaque prisca reducit.
illius ad numeros prolixa decennia rursum
1370 *adiecisse Meton Cecropea dicitur arte* e. q. s.

iam versus ille 1366 omni vitio metrico vacat. coniunctionem *namque* apud Avienum usitatissimam esse, ex Holderi indice reperies. vocabula *vetus Harpalus,* quae antea parum eleganter ad sententiam relativam apposita erant, nunc subiecti munere funguntur. postremo pronomen *illius* (1369) melius refertur ad subiectum remotius quam ad propius. ita quod rem criticam

---

1) ita scribendum est, cf. p. 96.

2) ita scribere malo; ed. princ. et editores: *aethere,* cod. Vind.: *aethrae,* Ambr.: *ęthera̍.*

attinet, ex omni parte probatur lectionem traditam recte se habere. sed res gravissima hoc versu 1366 contineri mihi videtur. nam octaeterida antiquissimum quidem fuisse cyclum annorum apud Graecos, ex fabulis et religionibus priscis apparet[1]). sed viri docti adhuc putabant, Cleostratum primum, quem post Anaximandri aetatem floruisse ex Plinii n. h. II 31 intellegitur, octaeterida ratione dispositam in publicum prodidisse[2]). Boeckh[3]) vero opinatus est, Solonem ut mensium lunarium rationem correxit, ita iam octaeteridi operam dedisse. quod re vera ita se habere Avienus solus quoad scio illo versu testatur. quo quidem ex fonte poeta has res hauserit, nondum notum est. tamen hac de causa non dubitabimus, quin ille versus recte restitutus sit; nam ne id quidem, quod de Harpali studio poeta profert, scimus unde sumpserit[4]).

Ut in versibus supra allatis dubitari non potest, quin caesura post vocem monosyllabam incidat, ita quotiens vox monosyllaba in altera, tertia, quarta thesi occurrit, non est, cur hoc loco versus caesuram non statuamus. ita neque his in versibus Avieni caesuram semiquinariam agnoscere dubitabimus, in quibus forsitan aliquis semiseptenariam valere velit:

II 17 *inseruit. rite hunc primum, medium adque secundum,*
307 *fluctibus instabile et glauci vada turgida ponti,*
349 *exarsere odia et caelum pernicibus intrat,*
576 *fama vetus septem has memorat genitore creatas,*
635 *cygneo capiti et curvo contermina signo*[5]).

---

1) cf. Ludovicus Ideler, Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie, Berol. 1825 sq. II p. 605 sqq.; Augustus Boeckh, Zur Gesch. der Mondzyklen der Hellenen, Lipsiae 1855 p. 10; Augustus Mommsen, Zweiter Beitr. zur Zeitrechng. der Griechen und Römer, in Nov. Ann. phil. suppl. III (1860) p. 382; idem, Chronologie, Lipsiae 1883 p. 36; G. F. Unger, Zeitrechng. der Gr. und R., in Hdbch. d. klass. Altertumsw. I² 1892 p. 732.

2) cf. Ideler l. c. I p. 300, 305; Unger l. c. p. 736.

3) l. c. p. 10 sq.

4) de Harpalo cf. Ideler l. c. I p. 300, 308.

5) accedunt versus II 38, 257, 278, 290, 452, 501, 522, 859, 863, 928, 932, 940, 967, 996, 1005, 1007, 1087, 1148, 1163, 1219, 1322, 1342, 1402, 1408, 1523, 1569, 1626, 1631, 1682, 1729, 1778, 1852, 1877, III 91, 149, 550, 632, 783, 795, 945, 1152, 1317.

in versum II 702

hic nam detrusae in latebras procul Amphitrites
704 . . . *perruperat,*

Aldus praepositionem *in*, quae in codicibus non legitur, falso inseruit. nam verbum *perrumpo* omnibus ceteris locis (II 22, 1185, 1808, III 434, 1273) cum casu accusativo praepositione omissa coniungitur.

Iam vox monosyllaba ante semiternariam in Avieni carmine altero ter, tertio semel, ante semiquinariam in altero carmine 47iens, in tertio 15iens tantum extat; in hoc carmine huic voci monosyllabae semper altera vox monosyllaba antecedit praeter duos versus (91, 632), in illo carmine non item.

C. De synalipha.

Ad caesurae naturam minime convenit synalipha, qua syllabae coniunguntur. tamen ne ratio confundatur, etiam in paucis illis versibus semiquinariam statuo, in quibus tertia thesis cum arsi coalescit, quamvis semiseptenariam statuere liceat. occurrunt vero omnes in altero carmine:

760 *cum portum tenuere, avidi volitantia raptim,*
932 *scire sat est. quin signa etiam sunt quattuor istis,*
1238 *haec membris discreta aliis extantiaque alte,*
1287 *et claros fulgere umeros. at cetera nondum,*
522 *quaerentem. non longā aries statione locatus.*

nam in versibus:
II 103 *voce feras ursasque et plaustra vocare solemus,*
719 1), III 946, 1208, 1296 semiquinaria ante particulam *que* incidit.

D. De sensus interstitio.

Deinde num in caesura cognoscenda sententiae finis et ratio distinctionis nos iuvet, viri docti valde dissentiunt. Müller (p. 195—198) enim contendit, caesuram a sensus interstitio non pendere. tamen idem vir doctus (p. 204) in versibus:

oscula libavit natae. dehinc talia fatur,
arcebat longe Latio, multosque per annos,

rationem grammaticam secutus semiseptenariam caesuram statuere vult, cum qua coniungatur caesura subsidiaria in illo versu

1) valde dubito, num hic versus recte restitutus sit.

semiquinaria, in hoc semiternaria. hac opinione reiecta Guilelmus Meyer (p. 1044) profitetur, interpunctionis notam ad statuendam caesuram sibi prorsus nihil valere. argumenta vero ad hanc rem probandam non profert. Paulus Kleinecke (de penth. et hephth. caesuris a Vergilio usurpatis, diss. Hal. 1882) ex structura grammatica et collocatione vocabulorum ansam ad caesuras cognoscendas reperire conatus, quattuordecim legibus rationem comprehendit, quam inter caesuras metricas et distinctiones grammaticas intercedere vult. sed quamvis utiles hae quaestiones ad intellegendam structuram et pulchritudinem hexametri latini sint, vereor ne ille vir doctus rem grammaticam et rem metricam commiscuerit.

Hoc quidem per se patet, caesuram esse incisionem metricam, non grammaticam. alia ex parte constat, poetas latinos in componendis versibus sensus interstitium nequaquam neglexisse. hoc vel inde apparet, quod non in omnes sedes versus sententiae clausulam admiserunt[1]). illud tantum moneo, poetas diligenter cavisse, ne post primum et quartum pedem spondiacum sententiam finirent, quamquam vocabulum spondiacum ab his pedibus alienum non erat. sed hanc legem solum ad sensus interstitium, non ad caesurarum rationem pertinere, p. 64 sq. vidimus. itaque cavens ne leges distinctionis temere ad caesuras referam, in caesuris statuendis cum Guilelmo Meyer sensus interstitii prorsus nullam rationem habebo. in versibus quales[2]) sunt Avieni:

II 3 *imus in astra Iovis monitu, Iovis omine caelum,*
98 *alter in optutum facilis, latet alter et alto,*
259 *et licet instanti similis similisque minanti,*
265 *omnibus, ardet apex capiti, micat ignea late,*

et quales[3]) sunt:

II 27 *adque aevi pariter gemini, simul omnia lustrans,*
43 *iste modum statuit signis, hic rebus honorem,*
254 *Callisto rutilet stellis, quibus usque ferinam,*
1729 *diffundunt: caelo et Thetidi terrisque supinis,*

---

1) cf. p. 86.

2) tales occurrunt in carmine altero 26, in tertio 36.

3) tales occurrunt in carmine altero 46, in tertio 13.

semiquinariae vim caesurae primariae tribuo, quamvis aliquis semiseptenariam statuere possit, quae cum semiquinaria sive semiternaria coniuncta sit.

E. De *que* particula in tertio trochaeo posita.

Iam quaeritur, quomodo de his versibus Avieni iudicandum sit:

II 346 *incipit Assyriumque bibunt nova vellera fucum,*
566 *tenditur ingentique dehinc vestigia passu,*
580 *Electra Alcyoneque Celeno Taygeteque,*
1135 *longior extremaeque polum subit indiga caudae,*
III 44 *porrigit, insertoque sinus interiacet agro,*
222 *excipit, adversusque dehinc se Thracius artat,*
263 *ergo solum terraeque Libystidis ora per austrum.*

invenitur enim finis vocabuli in versu II 580 post quartam arsin, in III 263 post alteram thesin et quartam arsin, in ceteris post quartam thesin. sed praeterea in omnibus primam syllabam tertiae arsis particula *que* occupat. praeter hos versus et versus III 595, 659, 712, qui alio modo excusantur[1]), nullus versus apud Avienum occurrit, quin caesura aut semiquinaria aut semiseptenaria et semiternaria praeditus sit. itaque censeo Guilelmum Meyer (p. 1045) suo iure contra Lucianum Müller[2]) contendisse, particulam *que* talibus in versibus per se stare, atque illis in versibus Avieni caesuram semiquinariam agnosco[3]).

---

1) cf. p. 78. 2) cf. Müller p. 464.

3) eandem rationem secutus est Sylla (p. 25 sq., 39), non vero Huemer. nam etiam apud Paulinum Nol. viginti versus inveniuntur incisione in tertio trochaeo et post quartam thesin praediti, quorum quindecim in tertio trochaeo particulam *que* praebent (cf. Huemer p. 51 et 52). quindecim versus occurrunt, qui finem vocabuli habent in altera thesi et tertio trochaeo et post quartam arsin, quorum in duobus tantum particula *que* post tertiam thesin legitur (cf. Huemer p 48 et 50). in omnibus his versibus Huemer putat caesuram tertiam trochaicam valere coniunctam sive cum semiseptenaria sive cum semiternaria et bucolica. sed tali interpretatione omnes regulae atque rationes confunduntur. in iis versibus, qui post tertiam thesin particulam *que* praebent, semiquinaria valere mihi videtur, in reliquis versibus Paulinum hexametri leges illius aetatis migrasse arbitror.

De caesurarum ratione.

A. De caesura semiquinaria.

Meyer (p. 1050 et 1055 sqq.) ostendit, inde ab aetate Ciceronis et Lucretii omnes poetas Romanos operam dedisse, ut unumquemque versum semiquinaria praeditum praeterea caesura auxiliaria sive semiseptenaria sive bucolica quadam inciderent. apud graecos quidem poetas caesurae bucolicae dactylum antecedere necesse erat[1]. sed Romanorum caesura, quam ille dicit bucolicam, multo saepius post vocabulum spondiacum quam dactylicum legitur. ideo satis incisi sunt versus, quales sunt Avieni:

II 16 *quo digesta capax solidaret semina mundus,*
35 *ut face flammanti tenebrosos rumpat amictus,*
59 *libra celerque aries demenso pondere Olympi,*
72 *o per multa operum mea semper cura camenae,*

permulti alii. tamen Meyer (p. 1056) contendit, poetas Romanos hanc caesuram bucolicam a poetis Alexandrinis accepisse, ita quidem, ut lege Alexandrinorum mutata vocabulum spondiacum ei antecedere maluerint quam dactylicum. hoc vero non recte contendisse mihi videtur. nam illam legem, qua praecipitur ut quartus pes sit dactylus, poetas Romanos ad sensus interstitium iuvandum recepisse, non ad caesuram bucolicam significandam, supra vidimus. observatur etiam haec lex in versibus, in quibus de caesura bucolica, quae semiquinariam iuvet, cogitari non potest, velut in

Verg. ecl. III 3 *infelix o semper ovis pecus! ipse Neaeram,*
23 *si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon,*
ge. I 371 *eurique zephyrique tonat domus: omnia plenis,*
380 *angustum formica terens iter, et bibit ingens.*

huc etiam referendus est Avieni versus II 91

cursus agit motatve loco labor, ut semel haerens,

in quo semiseptenariam cum semiternaria valere statuo. itaque dicendum est, Romanorum caesuram, quae post quartum pedem

1) cf. Imm. Bekker, Homer. Blätter I Bonnae 1863 p. 144; I. La Roche, loco p. 60 cit.; Meyer p. 1000; huius diss. p. 66 an. 1.

posita semiquinariam iuvat, ex propria natura hexametri latini ortam, nullo modo ad poetarum Alexandrinorum caesuram bucolicam referendam esse[1]).

B. De caesura semiseptenaria.

Ut semiquinariae omnibus in versibus, qui in tertia thesi finem vocabuli praebent, vim caesurae primariae tribuo, ita semiseptenariam in illis tantum valere statuo, qui in tertio pede aut nullam aut trochaicam caesuram, in quarta vero et altera thesi finem vocabuli praebent. Birt enim et Guilelmus Meyer (Über die weibl. Caesur des klass. lat. Hex., in Sitzgsber. der Bayr. A. 1889 p. 228) ostenderunt, inde a Vergilii aetate omnes fere versus semiseptenaria praeditos praeterea caesura semiternaria auxiliaria incidi, cuius modi versus Birt tripartitos appellat. sed eos versus tripartitos Birt invenit elegantiores esse, qui in tertio trochaeo finem vocabuli praebeant, eos vero versus, qui omni incisione tertii pedis careant, magis magisque vitari.

De Avieni et ceterorum poetarum consuetudine.

A. Quae ratio inter semiquinariam et semiseptenariam intercedat.

Apud Avienum invenitur:

caesura	in carminis II versibus		in carminis III versibus	
	1878enis	100enis	1393enis	100enis
semiquinaria	1768iens	94,14iens	1327iens	95,26iens
semiseptenaria	110 „	5,86 „	63 „	4,52 „

tertii carminis tres versus non satis inciduntur, de quibus p. 78 agetur. saepius igitur in altero quam in tertio carmine caesura semiseptenaria adhibetur.

1) idem Meyer paucis annis post illam commentationem editam concessit, se in legibus versus latini statuendis auctoritati Alexandrinorum nimis multum tribuisse (in Sitzgsber. der Bayr. A. 1889 p 234).

Iam ceterorum poetarum consuetudinem conferamus. caesura semiquinaria invenitur:

in	in versibus omnibus	in versibus centenis	pro singulis semiseptenariis occurrunt semiquinariae
Verg. ecl. I—V	352iens	83,81iens	5,6enae
„ ge. I	452	87,94	7,5
„ Aen. I	649	85,85	6,1
Ovid. met. I	697	89,70	8,5
Valer. Flacc. I 1—500 .	399	78,60	4,0
Porfyr.	588	88,16	7,4
Iuvenc.	3038	94,39	17,8
Laud. Domini	135	91,22	10,4
de Sod. et de Iona . .	190	69,85	4,6
Damas.	322	90,20	12,5
Ps-Damas.	234	88,30	7,5
ad quend. senat. . . .	82	96,47	2,8
adv. Marcionem . . .	1135	87,31	7,1
contra pag.	113	92,62	12,6
Prudent.	4328	85,72	6,0
Avien. II	1768	94,14	16,1
„ III	1327	95,26	21,1
Claud. I	214	76,70	3,3
„ de rapt. Pros. .	879	77,11	3,4
Symphos.	313	99,30	156,5
Avian.	314	96,02	24,2
Rutil.	340	95,51	21,2
carm. de ponder. . . .	195	93,79	15,0
„ de fig	145	77,96	3,8
Auson	2773	86,12	6,2
Paulin. Nol.	5886	83,92	6,0

Poetarum christianorum quarti saeculi nonnulli consuetudinem Vergilii et Ovidii fere sequuntur. Porfyrium dico, auctores epigrammatum Ps.-Damasianorum, auctorem carminis adv. Marcionem, Prudentium. apud ceteros caesura semiseptenaria multo magis recedit. poetae vero pagani, inter eos Avienus hanc caesuram plane fere reiciunt. Claudianus solus eam saepissime usurpat Valerii rationem secutus. deinde poetae Galli ad Vergilii fere usum revertuntur.

B. De ratione semiquinariae.

Caesura semiquinaria apud Avienum plerumque cum semiseptenaria vel bucolica quae dicitur coniuncta est. tamen caesura subsidiaria desideratur in carminis alterius versibus 1768^{enis} 99^{iens}, 100^{enis} $5{,}6^{\text{iens}}$, in carminis tertii versibus 1327^{enis} 53^{iens}, 100^{enis} $4{,}0^{\text{iens}}$. hi versus ita compositi sunt, ut

	in carmine II	in carmine III
habeant finem vocabuli in quarto trochaeo .	41iens	21iens
inveniatur praepositio monosyllaba vocabuli compositi in quarta thesi	41	16
inveniatur praepositio disyllaba vocabuli compositi in quarto pede	5	7
quartam et quintam thesin unum vocabulum comprehendat	12	9

quod fit his quidem in versibus:

II 227 *hic rigidos artus formae anguitenentis honore,*
309 *delphinos virides et physeteras anhelos,*
770 *perterret cetos. nam Threicii prope flabra,*
1768 *proxima decerpunt, si Threiciae per aperta,*
1385 *si libet aerios et tempestatibus ipsis,*
1610 *cum madefacta dies sub tempestatibus horret,*
1625 *nimborum expertes et tempestatibus atris,*
1485 *suffusus rutilo, mox tempestate sonora,*

cf. Verg. Aen. I 53 *luctantes ventos tempestatesque sonoras,* cf. etiam Verg. ge. I 27, Aen. I 80, 255;

1429 *hic inflictus item diversorumque per aethram,*
1520 *exhalantis humi qua spiramenta madescunt,*
1763 *Orchilos infestus si floricomis hymenaeis,*

cf. Verg. Aen. I 651;

1783 *uventis caeli sibi nutrimenta latenter,*

III 18 *unius: est primum Libyae Europaeque Asiaeque,*

cf. Dion. 9 *πρώτην μὲν Λιβύην, μετὰ δ' Εὐρώπην Ἀσίην τε;*

442 *Sarmata, Germani, Geta, Basternaeque feroces,*

cf. Dion. 304 *Γερμανοὶ Σαμάται τε Γέται θ' ἅμα Βαστάρναι τε;*

827 *caespite dorsa trahens in Nysaeum Platamona,*
868 *ab Xanthi ripis atque Idaeo Simoente,*

cf. Dion. 683 . . . *καὶ Ἰδαίου Σιμόεντος;*

869 *inter chauricrepas et scruposas convallis,*
895 *Caucaseas arces et dumicolas Arienos,*
cf. Dion. 714 *Καυκασίας κνημῖδας Ἐρυθραίων Ἀριηνῶν*;
1208 *Cissi Massabataeque et Chalonita vagantur,*
cf. Dion. 1015 *Κισσοὶ Μεσσαβάται τε, Χαλωνῖταί τε νέμονται*;
1296 *Oritas Aribasque et veloces Arachotas,*
cf. Dion. 1096 *Ὠρείτας τ' Ἄριβάς τε λινοχλαίνους τ' Ἀραχώτας*;
1314 *pars telas statuunt, et vestimenta laborant.*

Iam Avieni usum cum aliis poetis comparemus.

in	caesura quarta trochaica invenitur in versibus		quarta et quinta thesis uno vocabulo comprehenduntur in versibus	
	omnibus	100^{enis}	omnibus	100^{enis}
Verg. ecl. I—V	7^{iens}	$1{,}65^{\text{iens}}$	3^{iens}	$0{,}71^{\text{iens}}$
„ ge. I	18	3,50	16	3,11
„ Aen. I	14	1,85	9	1,19
Ov. met. I	49	6,29	19	2,44
Porfyr.	6	0,90	7	1,05
Iuvenc.	31	0,97	51	1,59
Prudent.	114	2,26	218	4,32
Avien. II	41	2,18	58	3,09
„ III	21	1,58	32	2,30
Auson.	115	3,57	134	4,16
Paulin. Nol.	245	3,55	226	3,28

inde intellegitur, poetas veteres versum caesura quarta trochaica incidere maluisse quam semiquinariam nulla caesura auxiliaria adiuvare, poetas recentiores rem invertisse.

C. De ratione semiseptenariae.

Caesuram semiseptenariam Avienus semper cum semiternaria coniunxit. praeterea in tertio trochaeo vocabuli finem posuit in carmine altero 93^{iens}, tertio 58^{iens}, tertium pedem prorsus non incidit in carmine altero 17^{iens} (in versibus 69, 87, 126, 295, 402, 644, 692, 725, 953, 1110, 1140, 1144, 1156, 1252, 1263, 1356, 1673), in carmine tertio 5^{iens} tantum (in versibus 423, 468, 631, 769, 959).

Iam videamus, quomodo ceteri poetae caesuram semiseptenariam adhibuerint.

in	in tertio trochaeo vocabulum finitur	tertius pes non inciditur	pro singulis versibus huius formae occurrunt illius formae versus
Verg. ecl.[1]	92 iens	13 iens	7,1 eni
„ ge. I	47	13	3,6
„ Aen. I	73	34	2,1
„ „ IV[1]	63	42	1,5
Ovid. met. I	82	0	82/0
Val. Flacc. I 1–500. . .	84	17	4,9
Iuvenc.	156	8	19,5
Laud. Domini	12	1	12,0
de Sod. et de Iona . . .	34	7	4,9
Damas.	24	2	12,0
ad quend. sen.	3	0	3/0
adv. Marcionem	116	27	4,3
contra pag.	8	0	8/0
Prudent.	644	74	8,7
Avien. II	93	17	5,5
„ III	58	5	11,6
Claud. I.	64	1	64
„ de rapt. Pros. . .	260	1	260
Symphos.	2	0	2/0
Avian.	13	0	13/0
Rutil.	9	7	1,3
carm. de ponder. . . .	11	2	5,5
„ de fig.	9	18	0,5
Auson.	406	41	9,9
Paulin. Nol.	863	125	6,9

Recentiorum poetarum plerique eos versus, qui in tertio pede non inciduntur, vel magis vitaverunt, quam ipse Vergilius, Iuvencum dico, auctores carminum quibus inscribitur: Laudes Domini, ad quendam senatorem, contra paganos, Damasum, etiam Prudentium. Avienus quoque in tertio carmine Vergilium elegantia superat, in altero valde recedit. Symphosius vero et Avianus et Claudianus Ovidium elegantia adaequant. sed Ausonius et Paulinus versum minus elegantem interdum admiserunt.

1) numeros, quos de Vergilii eclogis et Aen. IV attuli, ex Birtii libro petivi.

D. De versibus non secundum regulas incisis.

Restant tres versus tertii carminis Avieni, qui non secundum regulas compositi sunt.

659 *inque notum post dira Ceraunia carbasa siquis torqueat.*

codices: *dura*, Camers: *dira*. hic versus inde excusatur, quod accurate formatus est secundum versum Dionysii 492

πρὸς δὲ νότον μετὰ δρυμὰ Κεραύνια νηὶ θεούσῃ,

qui easdem incisiones praebet. praeterea nunc apparet vocabulum traditum *dura* (i. e. *δρυμά*), quod iam Breysig (in Mus. Rhen. LVI p. 659) restituere voluit, recte se habere.

Duo versus caesura tertia trochaica et bucolica nec non semiternaria latente inciduntur:

595 *fluctibus attolluntur Echinades: haut procul inde,*
712 *nec minus attolluntur Ionides insulae ab alto.*

tales versus ne a Vergilio quidem alieni sunt, qui scribit (Aen. I 500):

hinc atque hinc glomerantur oreades: illa pharetram.

sed hi quoque versus Avieni inde veniam habent, quod accuratissime ad exemplum Dionysii compositi sunt, qui scribit:

435 νήσων, ἃς καλέουσιν Ἐχινάδας, ἤσιν ὁμούρων,
533 ταῖς δ' ἔπι νῆσοι ἔασιν Ἰωνίδες· ἔνθα δὲ Καῦνος.

Iam dicendum est de versu II 675 qui traditur:

litus ama, fuge sollers caerula tegmina noctis.

nullo modo arbitrari licet, Avienum tam malum versum scripsisse. in codice Ambr. supra vocabulum *fuge* b littera, supra *sollers* a littera legitur, quae vocabula transposita editores suo iure receperunt. prima pars versus secundum Vergilium formatus est, qui scribit (Aen. V 163):

litus ama et laeva stringat sine palmula cautes.

Tribus illis versibus exceptis, quos valida venia non carere vidimus, Avienus regulas caesurarum nusquam migravit. eandem diligentiam Claudianus, Symphosius, Avianus, Rutilius in versibus componendis adhibuerunt, non vero poetae christiani. horum quas licentias poetae illustriores tantum sibi sumpserint, proferre mihi in animo est.

Iuvencus tres tantum versus minus accurate composuit:

II 693 *vocibus indubitata fides comitabitur istis,*

IV 643 *militibus: scelerata lŭdibria corpore praebet,*

Arev.: *scelerum,* Huem.: *sanctus.*

640 *hoc pretium pretiosi corporis instituentes.*

Damasus (IV 10) scripsit:

haec curavit Mercurius levita fidelis.

Auctor adv. Marcionem 12 versus sola semiseptenaria, 6 versus semiternaria, 3 versus nulla caesura incidit:

II 23 *omnem legis et infamem deducere causam,*

25 *quos in amicitiam adlexit deus, ad sua dona,*

56 *ipse Christus evangelium est, si cernere vultis,*

258 *denique dixit oportere superindui vestem,*

III 231 *convixere cibo assidue, testantur ut ipsi,*

278 *post quem Cletus et ipse gregem suscepit ovilis,*

V 15 *iamdudum expectata piis cum semine sancto,*

40 *qui cohibetur homo interior, concisus inique,*

62 *post haec posset et interior homo sanguine iunctis,*

185 *de qua carne, quia illum vos habuisse negatis,*

228 *tandem venit ab imperio patris omnipotentis,*

233 *angelo, virgine, carne sua, lignique medela;*

I 233 *causa potest pietati nulla resistere sanctae,*

III 67 *at Iesus Nave filius, Auses ante vocatus,*

198 *Zacharias vim passus, et angelus ipse Malachim,*

232 *hunc Paulus, praelectus apostolus in vice missus,*

296 *atque pio suscepit Anicetus ordine sortem,*

V 100 *hanc optat secum immortalem semper habere;*

III 215 *Esdras vates, legis doctor et ipse sacerdos,*

IV 112 *isthic ara sita effulgebat nobilis auro,*

212 *ante tribunale, ante pavimentumque paravit.*

Prudentius 6 versus caesura sola semiseptenaria, 4 versus semiternaria incisos sibi indulsit:

ap. 427 *vox evangelica, Hyrcanas quoque fervida brumas,*

613 *attigit, inluxisse diem lactantibus horis,*

psych. 900 *sensimus incaluisse Deo, quotiens tepefactum,*

in Sym. I 134 *Maenadas inflammante mero in scelus omne rotatas,*

135 *hoc circumsaltante choro temulentus adulter,*

II 738 *vicimus, exultare libet. quid tale repulso;*
psych. 32 *de pecudum satiata solo adplicat et pede calcat,*
98 *dixerat haec, et laeta Libidinis interfectae,*
in Sym. II 625 *dissimili ratione tuentibus, ut fuit olim,*
perist. IX 5 *stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat.*

Ausonius admisit versus sola semiternaria incisos[1]):
praef. I 31 *Alcides Atlantis et Aeacides Chironis,*
par. III 7 *tu frater genetricis et unanimis genitori,*
cup. cr. 10 *mirator Narcissus et Oebalides Hyacinthus,*
Mos. 414 *nobilibus repetenda nepotibus. at modo coeptum,*
epigr. XXXIV 1 *dicebam tibi: Galla senescimus; effugit aetas.*

Paulinus Nolanus 28[2]) versus sola semiseptenaria, 13[3]) sola semiternaria, 2[4]) nulla caesura instruxit:
IX 48 *nec minus ille beatus erit, qui parva tenebit,*
XVI 67, XIX 298, XXVII 405, XXXI 261;
XV 34 *nec tibi difficile, omnipotens, mea solvere doctis,*
XVI 195, XVIII 13, 434, XIX 101, 356, 444, 484, XX 172, XXI 66, 570, 589, 652, 761, XXIII 123, 151, XXVI 68, 213, XXVII 473, XXVIII 151, XXXI 105, XXXII 73, epist. p. 50 v. 55;
XV 262 *bisseno sublimis in agmine discipulorum,*
203, XVI 13, 111, XXII 79, XXIII 96, XXVI 411, XXVII 43, 395, XXVIII 273, VIII 29, X 261, epist. p. 50 v. 61;
XI 9 *omnibus excolere, adfectu observare fideli,*
XXXII 208 *quique invisibilem inconprensibilemque fatetur.*

Caput IX. De versu exeunte.

De Avieni consuetudine.

Vocem **monosyllabam** Avienus in altero carmine 14^{iens}, in tertio carmine 14^{iens} in exeunte versu posuit. quater vox enclitica *est* in fine legitur: II 330 *traducere mos est,* 369

1) ita Raehse p. 24—26.
2) cf. Huemer p. 52 et 54.
3) cf. H. p. 48.
4) cf. H. p. 55.

cernere fas est (cf. Verg. A. I 77), III 282 *inscia gens est,* 866 *Cercetia gens est.* ter praepositio proclitica vocem monosyllabam praecedit: III 287 *inclyta post hos,* 522 *confinia: post hos,* 379 *subducitur, ex quo* (cf. Verg. A. II 163). praeterea duabus vocibus monosyllabis finiuntur tres versus: II 626 *deduxerat. at cum* (cf. Verg. ge. I 314, 370, III 133), 1467 *cornua nec se* (cf. Verg. A. III 151, VI 117), III 735 *circumfluus et quis* (cf. Paulin. Nol. III 4). etiam ii versus, qui in unam vocem monosyllabam desinunt, saepe venia non carent: II 28 *rerum opifex hic,* qui versus quadam necessitate coercetur, cum ei exemplum Ovidii (met. I 79) subsit; praeterea versus sequens ab eodem vocabulo *hic* incipit, a quo ille versus clauditur [1]). II 93 *Oceano pars,* 457 *inque umeros vix,* 231 *ex umeris lux,* 357 *fulgore micat lux,* 710 *ignipotens lux,* 854 *luciparens Nox,* qui versus formatus est secundum Arati versum 408 *ἀρχαίη Νύξ* (cf. etiam Lucil. 127 (Marx), Verg. A. II 250, ge. I 247), 1550 *umbriferum vis,* (cf. Verg. ge. I 313), III 19 *insinuat vis,* 311 *Italidum vi,* 1113 *ladani vim* (cf. Lucr. I 13, 479, 722, Verg. A. IV 132, IX 532, X 864, XII 552), II 1605 *iubar igniferum sol* (cf. Iuvenc. III 1

fuderat in terras roseum iubar ignicomus sol),

III 1307 *hanc radiis sol,* sequens versus incipit a vocabulo *sol,* (cf. Iuvenc. IV 149 *radios sol,* 586), II 1788 *erigitur flos,* III 130 *hicque procul se* (cf. Lucr. I 33, 110, 502, 982, Verg. A. X 259, 8‹‹2), 738 *Aethiopum gens* (cf. Dion. 559 exeunt. vers.: *Αἰθιοπῆες*), 946 *Durateum gens* (cf. Verg. A. VII 708), 1074 *hic Marathus stat* (cf. Dion. 914 *Μάραθόν τε,* Verg. A. X 771).

Vocabulum plurium quam trium syllabarum in fine versus positum inde a Vergilii aetate non placuit. invenitur tamen apud Avienum vocabulum **quinque syllabarum** in altero carmine noviens, in tertio carmine undeciens ita quidem, ut plerumque sit nomen proprium: II 450 *Cassiepiam* (cf. Germ. 662), 565 *Cassiepiae* (cf. Cic. 23, Germ. 252), 1202 *Cassiepia,* 580 *Taygeteque* (cf. Cic. 35), 1183 *Oenopioni* (cf. Germ. 652),

---

1) hanc figuram Avienus saepius adhibuit, cf. II 74, 645, 691, 1065, 1706, III 675, 722, 1112, 1307, II 447 quem versum post versum 441 positum Winterfeld (diss. p. 25) ita recte restituit: . . . *nominis. illum,* (442) *illum quin* e. q. s.

III 9 *Oceanumque*, 117 *Aeneadarum*, 449 *Panticapaei*, (cf. Dion. 314), 551 *Oriciumque*, 652 *Aegialiae* (cf. Dion. 486), 1035 *Bellorophontis* (cf. Dion. 871), 1039 *Anchialia*, 1213 *Atropateni* (cf. Dion. 1019); II 533 *flammigerarum*, 795 *omniparentis*, 1112 *ignicomantis*, 1413 *ignicomantum*, III 90 *porrigiturque*, 104 *principiumque*, 318 *erigiturque*.

Vocabulum **quattuor syllabarum** in altero carmine 39iens invenitur: 11iens aliqua forma vocabuli *capricornus*, 10iens vocabuli *aquilo*, 6iens vocabuli *ophiuchus*, quater vocabuli *umeri*, bis vocabuli *gemini*, quae vocabula apud Aratum saepe eadem in sede leguntur. legitur praeterea 217 *generato*, 1549 *tenebrarum*, 1614 *nebularum*, 1763 *hymenaeis* (cf. Lucr. I 91, Verg. Aen. VI 623, VII 344, 358, X 720), 1768 *per aperta*, 1790 *volitare*. in tertio carmine tale vocabulum in fine versus 37iens occurrit, ita quidem ut 20iens sit nomen proprium (18, 55, 447, 455, 574, 591, 593, 699, 739, 827, 868, 895, 1132, 1137, 1175, 1195, 1294, 1296, 1299, 1343), quod plerumque Dionysius eodem versus loco posuit, 7iens nomen peregrinum: 469 *et iaspis*, 508 *vel eois*, 777 *elephantos* (cf. Dion. 593, Verg. A. III 464, VI 895), 1304 *adamantas*, 1320 *adamanta* (cf. Dion. 1119), 1311 *hyacinthos* (cf. Dion. 1112), 1325 *amethystos*, 5iens aliqua forma vocabuli *aquilo*; praeterea legitur: 4 *genus hoc procul omne animantum*, quae clausula ad Lucretii exemplum (I 4) formata est, 723 *animarum* (cf. Lucr. I 106), 391 *agitantes*, 863 *populorum*, 1254 *regionum*.

Vocabulum quattuor syllabarum in exeunte versu positum ideo maxime offendit, quod plerumque vocabuli finis in **quinta thesi** antecedere solet. talis finis vocabuli in altero carmine 34iens in quinta thesi ponitur; 29iens vocabulum quattuor syllabarum, quinquiens duo vocabula binarum syllabarum sequuntur, id quod minus displicet. in tertio carmine finis vocabuli in quinta thesi 27iens legitur; 25iens vocabulum quattuor syllabarum, bis duo vocabula binarum syllabarum sequuntur.

Vox monosyllaba in quinta thesi posita non offendit. invenitur vero in altero carmine 69iens, ita quidem, ut 56iens sensus interstitium antecedat. sequuntur eam 54iens duo vocabula binarum syllabarum; non multo aliter sonant clausulae versuum 141 *hunc quoque, ut artus*, 908 *haud sit imago*.

10^{iens} vocem monosyllabam vocabulum quattuor syllabarum sequitur, ter vocabulum trinarum syllabarum coniunctum cum voce monosyllaba, quae versum claudit (28, 231, 457). in tertio carmine 70^{iens} vox monosyllaba in quinta thesi invenitur, ante quam 54^{iens} sensus interstitium antecedit. sequuntur eam 56^{iens} duo vocabula binarum syllabarum, neque dissimiles sunt clausulae versuum 469 *hic et iaspis*, 508 *qua vel eois*. 10^{iens} post vocem monosyllabam vocabulum quattuor syllabarum legitur, bis vocabulum trinarum syllabarum coniunctum cum voce monosyllaba (1074, 1307).

Versus spondiaci in carmine altero 29 occurrunt, qui omnes in quarto pede dactylum praebent et in vocabulum dispondiacum exeunt; solus versus 477 in vocabulum trium syllabarum desinit: *pecoris pinxere*. 17^{iens} in exeunte versu nomen proprium (71, 249, 496, 526, 584, 702, 801, 1004, 1010, 1024, 1116, 1170, 1187, 1232, 1316, 1375, 1399), 12^{iens} aliud vocabulum (110, 323, 348, 366, 591, 678, 909, 933, 1182, 1291, 1353, 477) legitur. in tertio carmine 30 versus spondiaci inveniuntur; quinque vero in vocabulum molossicum exeunt (453, 869, 929, 950, 1203), qui propter finem vocabuli in quinta thesi positum minus iucunde sonant. sed pessimi etiam versus hoc in carmine sex inveniuntur, quorum quartus pes est spondeus:

657 *extulit, insanam sectantes Aeetinen,*
1225 *saxa habitat, saxis excudit narcissiten,*
453 *hic dites venae niveum gignunt crystallum,*
869 *inter chauricrepas et scruposas convallis,*
950 *Armenioque iugo late surgens Thermodon,*
1203 *et procerarum fluctu vernat palmarum,*

qui novissimus versus ex sex spondeis constat. 21 versus in nomen proprium (34, 221, 368, 466, 481, 483, 485, 490, 585, 657, 717, 733, 856, 929, 950, 968, 979, 987, 1153, 1220, 1351), 9 in aliud vocabulum (121, 603, 693, 901, 1123, 1225, 453, 869, 1203) exeunt.

Iam ut res facilius comparari possint, eas in tabula disponam. invenitur:

in exeunte versu	in carminis II versibus		in carminis III versibus	
	1878enis	100enis	1393enis	100enis
vox dispondiaca	28iens	1,49iens	25iens	1,79iens
„ molossica	1	0,05	5	0,36
tres spondei	0	0	6	0,43
vox monosyllaba	14	0,75	14	1,01
„ quinque syllabarum	9	0,48	11	0,79
„ quattuor „	39	2,08	37	2,66
in quinta thesi				
finis vocabuli	34	1,81	27	1,94
vox monosyllaba	69	3,67	70	5,03

In tertio carmine plures versus spondiaci occurrunt quam in altero, sed minus eleganter compositi sunt. etiam vox monosyllaba, vox trium et quattuor syllabarum in tertio carmine saepius in versu exeunte leguntur quam in altero carmine, nec non in illo carmine exitus vocabuli et vox monosyllaba saepius in quinta thesi ponuntur. ut vox monosyllaba in tertio carmine tanto saepius in quinta thesi occurrat, praecipue inde efficitur, quod hoc in carmine multo saepius sensus interstitium post quartum pedem poni vidimus (p. 60).

De ceteris poetis.

Iam Avienum cum ceteris poetis comparemus. invenitur:

in	versus spondiacus in versibus		in versu exeunte vox monosyllaba in versibus		5 syllabarum in versibus		4 syllabarum in versibus	
	omnibus	100 enis	omnibus	100 enis	omnibus	100 enis	omnibus	100 enis
Catull.[1]	42iens	5,27iens	7iens	0,88iens	5iens	0,63iens	7iens	0,88iens
Verg. A. I et IV	1	0,07	5	0,34	1	0,07	7	0,48
Ov. met. I—V	9	0,23	16	0,41	0	0	3	0,08
Tibull.	0	0	0	0	0	0	0	0
Porfyr.	1	0,15			6	0,9	3	0,45

1) numeros, quos de Catulli, Vergilii, Tibulli consuetudine protuli, Meyero (p. 1033 sqq.), quos de Paulini consuetudine proposui, Huemero (p. 65 sqq.) debeo ; quos numeros de voce monosyllaba a Prudentio in exitu versus posita descripsi, ex libro Krenkelii (p. 40 sq.) petiti sunt.

in	versus spondiacus in versibus		in versu exeunte vox monosyllaba in versibus		5 syllabarum in versibus		4 syllabarum in versibus	
	omnibus	100enis	omnibus	100enis	omni bus	100enis	omnibus	100enis
Iuvenc.	4iens	0,12iens	11iens	0,34iens	45iens	1,4iens	4iens	0,12iens
Laud. Dom.	1	0,68			1	0,68	1	0,68
de Sod. et de Iona	0	0	6	2,21	1	0,37	0	0
Damas.	0	0	0	0	1	0,28	0	0
ad quend. sen.	0	0	2	2,36	0	0	1	1,18
adv. Marc.	1	0,08	3	0,23	1	0,08	1	0,08
Prudent.	29	0,57	117	2,32	63	1,25	77	1,53
Avien. II	29	1,55	14	0,75	9	0,48	39	2,08
„ III	30	2,16	14	1,01	11	0,79	37	2,66
Claud. I, V, XXI, XXII,XXIV,XXVII XXVIII, XXXIII, XXXV, XXXVI, LIII	2	0,05	8	0,19	0	0	1	0,02
Symphos.	0	0	6	1,9	0	0	0	0
Avian.	0	0	3	0,91	0	0	0	0
carm. de pond	0	0			0	0	0	0
Rutil.	2	0,56	0	0	2	0,56	0	0
Auson. Mos., ecl. II—VIII, cup. cr., parent.	6	0,6	12	1,21	6	0,6	13	1,31
Paul. Nol.	34	0,49	147	2,13	17	0,25	30	0,44

Plurimi versus, quos hac in tabula significavi, aliquam veniam licentiae habent. unus tantum illorum versuum Ovidii in unam vocem monosyllabam exit (V 573). apud Prudentium 104iens, apud Paulinum 107iens bina vocabula monosyllaba in exeunte versu occurrunt, nec non semper apud Claudianum praeter duos versus (XXI 161, XXXVI 253), semper apud Symphosium et Avianum.

Iam intellegitur, poetas christianos omnino non elegantiam poetarum aevi Augusti adaequare. vox monosyllaba saepe in versu exeunte ponitur ab auctoribus carminum de Sodoma et de Iona, ad quendam senatorem, a Prudentio, etiam ab Ausonio et Paulino. etiam vocabulum quinque syllabarum saepius occurrit, praecipue apud Iuvencum, poetam satis diligentem. in vocabulo quattuor syllabarum hoc loco ponendo Prudentius

et Ausonius maiores licentias sibi sumpserunt. etiam versus spondiaci saepius inveniuntur apud Prudentium, Ausonium, Paulinum. poetae pagani vero huius aetatis veterem elegantiam prae se ferunt praeter unum Avienum, qui clausulae versus minus operam dedisse videtur. saepe enim vocem monosyllabam et vocabulum quinque syllabarum, persaepe vocem quattuor syllabarum in fine versus posuit. multo saepius quam omnes ceteri praeter unum Catullum versus spondiacos finxit. haec socordia, quam in solo exitu versus formando apud eum observamus, inde explicatur, quod tanta multitudo nominum propriorum ei in versu collocanda erat, quae nomina apud Aratum et Dionysium plerumque eandem sedem versus occupant.

Caput X. De sententiarum clausulis[1]).

Avienus ut ceteri poetae saepissime sententias in fine versus et post tertiam thesin clausit, persaepe etiam post quartam et alteram thesin. praeterea ut distinctio in diaeresibus posita ceteris poetis minus placebat, ita post primum et quartum dactylum distinguere Avieno in deliciis erat[2]). praeterea post quintum dactylum sensus interstitium invenitur in altero carmine 15iens (41, 74, 89, 270, 305, 362, 453, 607, 626, 709, 997, 1065, 1467, 1565, 1574), in tertio carmine 10iens (26, 268, 370, 379, 412, 522, 563, 919, 1070, 1079). paulo rarius interstitium satis leve Avienus post quintum trochaeum admisit, in carmine altero 7iens (98, 141, 454, 606, 1535, 1661, 1842), in carmine tertio quater (150, 505, 560, 1133). saepe etiam interstitium post primum trochaeum invenitur, 25iens vero in altero carmine (23, 119, 145, 219, 253, 315, 334, 345, 395, 400, 502, 546, 668, 729, 734, 1095, 1169, 1200, 1255, 1327, 1355, 1365, 1394, 1452, 1457), 21iens in tertio carmine (32, 70, 114, 173, 254, 335, 417, 424, 438, 460, 462, 524, 534, 624, 654, 775, 860, 1006, 1009, 1210, 1381); tamen in dimidia fere parte horum versuum trochaeus synalipha cum sequentibus coniungitur.

---

1) cf. Müller p. 264 sqq., Hilberg et Sylla in libris p. 8 citatis.
2) cf. p. 58 sqq. et 63.

Adlocutiones, interiectiones, enuntiata relativa apud poetas latinos grave interstitium omnino non efficiunt neque distinctio levior valet, quae paulo ante aut post graviorem distinctionem occurrit[1]).

In versu II 742

hunc, hunc, flammanti cum primum vibrat ab ortu,

distinctioni, quae post primam thesin et arsin legitur, vis non tribuenda est. idem intellegitur in versibus:

II 489 *hunc, hunc Aonio* e. q. s.
701 *dux, Neptune, tui* e. q. s.
868 *vix, si sera Iovem* e. q. s.
1041 *id, quod contenti visus absciditur, ultro,*
1128 *nec, cum falcatas*[2]) e. q. s.
1179 *te, dea, te dura* e. q. s.
1737 *hoc, cum concretus* e. q. s.
III 15 *sed, matutino* e. q. s.
787 *A! nequis rapidi* e. q. s.
789 *A! ne monstrigenis* e. q. s.

neque ullo modo versus:

II 887 *agrestemque manu praedam gerit. hic, ubi celso,*
III 394 *nunc tibi et Europae fabor latus: haec, ubi terras,*

offendunt, cum distinctio gravis ante quintam thesin posita, levem illam quae sequitur opprimat. in versu II 1221

Scorpius Oceano surgens agitat. pede nixi e. q. s.

distinguendum esse:

. . . . *agit. at pede nixi,*

iam Grotius cognovit, quem Hilberg (p. 240) et Winterfeld (in Philol. LVIII p. 283) secuti sunt. post sextam thesin sensus interstitium non occurrit.

Post primum pedem spondiacum, qui synalipha cum sequente coniungitur, bis, post quartum pedem spondiacum 7^iens^ sensus interstitium occurrit[3]). in versu II 1320 *credo,*

---

1) cf. Müller p. 275.

2) ita restituit Winterfeld (in Philol. LVIII p. 284), codd. et edd.: *flagrata* (vel.: *-as*).

3) cf. p. 58 sqq.

ni desit e. q. s., scribendum esse: *credere. ni* e. q. s., p. 12 vidimus. in versu II 1066 sqq.

. . . *quae si se nubibus abdent*
aut si, cum surgunt, ut tellus saepe tumescit,
occultata iugo praetextaque rupe latebunt,

distinctio, quae ante vocabulum *cum* legitur, minus valet, quam illa, quae coniunctioni *aut* antecedit. in versu II 1062

quae procul Oceano consurgunt, signa notato,

vocabulum *signa* non minus ad antecedentia quam ad sequentia pertinet. — post alterum et tertium pedem numquam sensus interstitium invenitur. in versu II 257

Arctophylax sive, ut veteres cecinere, Bootes,

distinctio ante particulam *sive* posita magis valet quam ea, quae sequitur. similiter res se habet in versibus:

II 290 *temporibus. precor, in terras* e. q. s.
1144 *terga manet, manet, arquitenens* e. q. s.
III 756 *Bistonides; non, qua celeri* e. q. s.
783 *tota feris: haec, ut rigidi* e. q. s.
II 292 *pande sacris aurem. tu, cum sincera* e. q. s.
1171 *proserpens pelago. vetus, o Latonia virgo,*
1827 *est avium in terras; pavet, has ut viderit, aestus,*
III 6 *ardua res, musae. deus, en deus* e. q. s.
608 *gurgitis occidui: precor, aspirate, camenae.*

in versu III 231

eminus ista notum videt, arctos eminus illa,

verbum *videt* non minus ad sententiam sequentem quam ad antecedentem pertinet. in versu III 550

et motantur humo, et coeunt sibi e. q. s.

alter pes cum tertia thesi gravi elisione vocabuli iambici coniungitur. in versu II 958

maerens Andromeda. hic celeris vestigia e. q. s.

Hilberg (p. 234) ex codicibus recte restituit:

. . . *Andromede. celeris* e. q. s.

in versu II 17

. . . *rite hunc primum, medium adque secundum*
vox secreta canit sibi; nam permixtus utrimque
et fultus sese geminum latus unus et idem est,

pronomen *sibi* ad sequentem, non ad antecedentem sententiam

pertinet. nam vocabula *sibi utrimque permixtus* vocabulis *sese geminum latus fultus* accurate respondent. coniunctio *nam* saepissime post primum vocabulum enuntiati ponitur[1]. num in versibus II 407 sq.

. . . haec lac memoratur alumno
infudisse Iovi capra, nutrix dicta tonantis,

recte post vocabulum *capra* quamvis leviter distinguatur dubito. in versibus II 815 sqq.

semper in antiqum retrahens iter omnia secum
saeclorum serie longā. istas denique signant
intervalla faces,

Hilberg (p. 241) recte interstitio post vocabulum *serie* facto vocabulum *longă* ad *intervalla* pertinere voluit. in versu 1473

vis prolixa salum ciet, ocius omnia chauri
marmora convolvent, fera verrent flabra profundum,

post, non ante vocabulum *ocius* distinguendum est.

Neque vero in alterum, tertium, quartum trochaeum Avienus distinctionem admisit. nam in versibus:

II 701 *dux, Neptune, tui* e. q. s.
386 *et sidus, Lenaee, tuum,*
III 250 *Cimmerii, gens dura, colunt,*

illa distinctio non valet. in versu II 1005

spira anguis levis hic craterque, tenacia corvi
ora inhiant,

Hilberg (p. 237) recte restituit:

. . . crater, et edacia corvi e. q. s.

idem vir doctus (p. 238) in versu II 1153

surgunt Oceani iam gurgite. et ultima cygni,

recte scripsit:

surgunt Oceani. iam gurges et ultima cygni
et caput acris equi premit aequore (codd. et edd.: *aequora*).

in versibus II 427 sqq.

. . . gemino sic cornua ductu
erigit aetherii vigor ignis, et ignis utrimque
sic camuris ardet protractibus,

vocabulum *ignis* repetitum quandam veniam praebet.

1) cf. Holderi indicem.

Iam videmus Avienum sensus interstitium nisi post alteram, tertiam, quartam thesin, primum, quartum, quintum dactylum, primum, quintum trochaeum, versus finem prorsus non admisisse, quantam elegantiam ne Vergilius quidem assecutus est. invenimus enim, ut pauca exempla afferam, in Vergilii Aen. II versibus 1—200 hos versus:

29 *hic Dolopum manus, hic saevos tendebat Achilles,*
30 *classibus hic locus, hic acie certare solebant,*
48 *aut aliquis latet error: equo ne credite, Teucri,*
80 *finxit, vanum etiam mendacemque inproba finget,*
145 *his lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro,*
184 *effigiem statuere, nefas quae triste piaret,*
200 *obicitur magis, atque inprovida pectora turbat.*

Caput XI. Quem locum Avienus inter poetas quarti saeculi teneat.

Iam ut breviter summam totius nostrae quaestionis faciamus, videamus, quem locum Avieni ars metrica inter poetas quarti saeculi obtineat. si eius naturam atque studium spectamus, id iam per se patet, Avienum illis adnumerandum esse, qui priscam religionem et veteres poetas a christianorum impetu defenderunt, atque veterem elegantiam artis restituere conati sunt (cf. prooem. huius diss.). cum his etiam eius ars metrica omnino consentit. prosodiae maximam integritatem adeptus Claudiano, Symphosio, Aviano, Rutilio vix inferior est. verum in o littera finali corripienda (cf. p. 10 et 21) et legibus correptionis quae dicitur Attica observandis (cf. p. 34, 43) etiam propriam quandam diligentiam eum adhibuisse vidimus. tamen non omnibus in rebus cum his poetis paganis facit. nam in admittendis elisionibus, quas Claudianus, Symphosius, Avianus valde vitabant, ille totus cum poetis christianis consentit (cf. p. 50 sq.). deinde in primo et quarto pede vidimus nonnullos poetas christianos, praecipue Prudentium, postea Ausonium et Paulinum vocabulum dactylicum ponere (cf. p. 61) et post hos pedes distinguere saepe esse solitos (cf. p. 63). eadem consuetudo valde ab Avieno colitur. poetae vero pagani Claudianus, Avianus, Symphosius post primum quidem pedem

dactylicum satis saepe distinguere ausi sunt (cf. p. 63), sed vocabulum dactylicum in quarto pede positum (cf. p. 61) et distinctionem post hunc pedem collocatam valde abominabantur (cf. p. 63). leges caesurarum, quibus praecipitur, ut unusquisque versus caesura aut semiquinaria aut semiseptenaria et semiternaria incidi debeat, Avienus anxie observavit ut poetae illi pagani, qui christianorum licentias reiecerunt (cf. p. 78). etiam in caesura semiseptenaria vitanda Avienus cum Symphosio, Aviano, Rutilio facit, quam caesuram poetae christiani paulo minus abominabantur. Claudianus vero hac in re proprium locum tenet (cf. p. 74). sed versus semiseptenaria praeditos, qui caesura tertia trochaica careant, Avienus minus vitabat quam Claudianus, Symphosius, Avianus, hac in re christianorum fere consuetudinem secutus (cf. p. 76 sq.). in versus exitu formando Avienus propriam quandam rationem secutus neque cum poetis christianis neque cum paganis conferri potest (cf. p. 85 sq.).

Appendix. Observationes criticae in Avienum.

Avieni carmina edidit atque apparatu critico et copioso indice verborum instruxit Alfredus Holder (ad Aeni Pontem 1887), qui p. V—XVIII codices, p. XVIII—XXX editiones priores affert et p. XXXI—LXV eos enumerat, qui ante ipsum Avieno operam dederunt. post hanc editionem emissam Winterfeld acuta dissertatione ostendere conatus est, codicem Ambrosianum ex apographo aliquo codicis Vindobonensis descriptum esse (p. 3 sq.), ita ut huius libri in recensendis Arateis plane nullus usus esse possit; praeterea editioni principi maiorem fidem habet, quam illi codici Vindobonensi (p. 7). deinde Breysig (in Berl. Ph. Ws. XV (1895) p. 1196) non solum codicem Vindobonensem editioni principi praeferre vult, sed etiam auctoritatem codicis Ambrosiani restituere conatur (sed cf. Winterfeld, Beitr. p. 10 adn.). re vera codex Ambrosianus nonnullis locis solus meliorem lectionem tradidit (de versibus II 675, 1320, 1643, 1669, cf. p. 78, 12, 45, 58 sq.). idem Winterfeld (diss. p. 29—33, Beitr. p. 25, in Philol. LVIII

p. 281 sqq.) satis multos versus Avieni corruptos sagaciter emendavit; Breysig (in Philolog. Abhdlgen., M. Hertz dargebracht, Berol. 1888 p. 44—57) rettulit de coniecturis criticis ab Ellisio (in Journ. of Philol. XV 29, 1—11), Siegio (de Cicerone Germanico Avieno Arati interpretibus, Hal. 1886 p. 44—52), Holdero (in edit.) propositis; idem (in Mus. Rhen. LV p. 569 sqq., LVI p. 565 sqq.) multis locis tertii carminis, quos Holder mutaverat, lectionem traditam bene restituit, nec non Kosten, Hilberg, Daigl (p. 44) nonnulla protulerunt. hoc vero capite observationes meas criticas, quae per libellum dispersae leguntur, collectas enumerare nec non novas adiungere mihi in animo est.

II 18 *vox secreta canit sibi; nam permixtus utrimque*
et fultus sese geminum latus unus et idem est.

ante pronomen *sibi* distinguendum est, cf. p. 88 sq.

37 *istius ille anni pulcher chorus, alta ut ebescat*
terra gelu, ver ut blandis adrideat auris,
pulverulenta siti tellurem ut torreat aestas
40 *et gravis autumni redeat fetura parentis.*

codd.: *arvis*; non bene Schrader (cf. Haupt, Hermae V p. 189) *auris* scripsit. desideratur enim non ablativus instrumenti, sed dativus obiecti. praeterea egregie sententiae altera alteri opponuntur: terra hieme hebescit (37), aestate torrescit (39), arva vere efflorescunt (38), autumno maturescunt (40); qui ordo satis pulcher Schraderi coniectura plane confunditur.

76 . . . *totis se Helicon inspirat ab antris.*

illud *se* delendum est, cf. p. 47.

288 . . . *lubricum ut aevum*
sors agat,

scribendum est *lubrica*, cf. p. 46.

411 (*Ericthonius*[1]),)
. . . *pronus qui non procul in geminorum*
laeva iacet.

---

1) in versu 410 habent cod. Vind.: *erictonius*, Ambr., ed. pr., editores: *erichthonius* (sive: *E.*).

in versu tradito:

. . . *pronus procul in geminorum,*

aliquid excidit. quod Morel addidit *qui non,* non intellegitur. nam ut Aratus scribit (160):

αὐτὸν μέν μιν ἅπαντα μέγαν Διδύμων ἐπὶ λαιά
κεκλιμένον δήεις,

ita apud Avienum etiam sententia affirmativa expectatur. Germanicus scribit (163):

ipse ingens transversus abit laeva geminorum,

ubi vocabulo *ingens* Arati *μέγαν* vertitur. ab hoc suspicor Avienum non solum vocabulum *geminorum* in fine versus positum, sed etiam vocabulum *ingens* mutuatum esse, id quod in codicibus Avieni propter similitudinem vocabulorum *in geminorum* exciderit. itaque scribendum propono:

. . . *pronus qui ingens procul in geminorum* e. q. s.

414 *ille quidem in spatium membra explicat, ut capra laevo*
fixa umero clare sustollitur e. q. s.

codd.: *ut,* ed pr.: *ac*; illud *ut* non facile intellegitur. Aratus scribit (162):

. . . *σκαιῷ δ' ἐπελήλαται ὤμῳ*
Αἴξ ἱερή (τὴν μέν e. q. s.

Cic. XXVI *adversum caput huic Helicae truculenta tuetur.*
at Capra laevum umerum clara optinet.

Germ. 168 . . . *caprae,*
sidere quae claro gratum testatur alumnum.
170 *hanc Auriga umero totam gerit, at manus haedos* e. q. s.

Avienum ex Ciceronis versu non solum vocabula *umero clare* sed etiam *at capra laevo* recepisse apparet, id quod restituendum est. hac vero particula *at* Arati particula *δέ* vertitur. vestigia eius in editione principe extant, ubi *at* vi litterae primae vocabuli sequentis *capra* corruptum est in *ac.* saepius Avienus sententiam, qua de sideris alicuius ortu dicere incipit, particula *at* ut Aratus particula *δέ* instituit:

Ar. 303 *σῆμα δέ τοι κείνης ὥρης καὶ μηνὸς ἐκείνου*
Σκορπίος ἀντέλλων εἴη πυμάτης ἐπὶ νυκτός e. q. s.

Av. 679 *mensis at infausti vel duri sideris index*
Scorpius exoriens sit tempore noctis adultae.

Ar. 271 . . . *τὸ δ' ἐπὶ σκελέεσσι πέτηλον*
γούνατί οἱ σκαιῷ πελάει.

Av. 631 . . . *ad nixi qua semet sidera ponto*
sustollunt.

pro *ad*, quod Holder ex codicibus recepit, Breysig scripsit *ac*, iam Grotius recte *at*.

Av. 486 . . . *at tenus alvo*
erigitur media, nam cetera pone negantur.

codd.: *et*, Grotius recte: *at*.

1221 . . . *agit. at*[1]) *pede nixi,*
quem procul aversum semper salis alta remittunt,
tunc artus medii, tum pectora vasta umerusque
dexteraque ulnarum spumosi gurgitis aestu
procedunt.

496 . . . *Hippocrenen.*
scribendum est *Hippucrenen*, cf. p. 35 sq.

550 *Troicus haurit aquas funditque ubi ephebus ab urna,*
forsitan scribendum sit: *funditque ut ephebus ab urna*, cf. p. 45.

660—668 *interea totis notus acer saeviet undis*
excitumque salum verret notus. aurea Solis
cum rota cornigeri sidus pepulit capricorni,
tum dirum caelo frigus redit, aspera nautis
tunc freta fluctivagis, tamen isti saepe malorum
inmemores agitant totos in fluctibus annos,
mergorum et focis similes. trahit unda paventis
ac retrahit, quaerunt oculis distantia longe
litora et in pontum cogunt lucra semper hiantis.

quod in versu 664 in editionibus legimus *freta*, Heinsius pro posuit; traditum est in cod. Vind.: *st̄*, ed. pr.: *sunt*, Ambr.: *cito*; pro *tunc*, quod omnibus in libris traditum est, Breysig scripsit *tum*. Aratus dicit (294):

ναύτῃ μαλκιόωντι κακώτερον.

bene Avienus vocabulum Arati *κακώτερον* vertit adiectivo substantivi loco posito *aspera*. hic numerus pluralis neutrius adiec-

1) ita scribendum, cf. p. 87.

tivi eodem significatu maxime in usu est[1]), atque Avienus ipse scribit (III 874):

. . . iste feraci
exul ab Aegypto celsae serit aspera rupis.

vocabulum *freta* igitur illo loco abundat. praeterea Avienus, qui coniunctiones *tum* et *tunc* promiscue adhibuit (cf. II 663 sq., 1223, 1745 sq.), ante vocabulum, quod a duabus consonantibus incipit, semper formam *tum* posuit (II 656 *tum freta,* 687, 1254, 1741, III 540, 916). huc spectans Breysig etiam hoc loco scripsit *tum freta.* sed inde quod omnibus in libris traditum est *tunc,* probatur, vocabulum *freta,* quod non in codicibus extat, certe se recte non habere. itaque lectionem traditam, quae nullo modo offendit, restituemus. deinde omnes hos versus Avieni 660—668 in editionibus non recte distingui cognoscitur, si Arati versus 291—299 comparamus qui scribit:

. . . οἱ δ' ἀλεγεινοί
τῆμος ἐπιρρήσσουσι νότοι, ὁπότ' Αἰγοκερῆι
συμφέρετ' ἠέλιος· τότε δὲ κρύος ἐκ Διός ἐστι,
ναύτῃ μαλκιόωντι κακώτερον. ἀλλὰ καὶ ἔμπης
ἤδη πάντ' ἐνιαυτὸν ὑπὸ στείρῃσι θάλασσα
πορφύρει· ἴκελοι δὲ κολυμβίσιν αἰθυίῃσιν
πολλάκις ἐκ νηῶν πέλαγος περιπαπταίνοντες
ἥμεθ' ἐπ' αἰγιαλοὺς τετραμμένοι, οἳ δ' ἔτι πόρσω
κλύζονται· ὀλίγον δὲ διὰ ξύλον Ἄιδ' ἐρύκει.

itaque Avieni versus scribendi et distinguendi erunt:

interea totis notus acer saeviet undis
excitumque salum verret notus, aurea Solis
cum rota cornigeri sidus pepulit capricorni;
tum dirum caelo frigus redit, aspera nautis
tunc sunt fluctivagis. tamen isti saepe malorum
inmemores agitant totos in fluctibus annos;
mergorum et focis similes trahit unda paventis
ac retrahit, quaerunt oculis distantia longe
litora et in pontum cogunt lucra semper hiantis.

---

1) cf. Thes. l. l. II 812, 61; Henricus Kuehne, de arte grammat. R. F. Avieni, diss. Monast. Essenae 1905 p. 18.

696 *cum redit a pelago et movet in convexa volatum,*
traditum est:

cum redit ac pelago movet in convexa volatum,

a scripsit Aldus, *et* iniunxit Morel. Winterfeld (diss. p. 28) proposuit:

cum pelago redit ac movet in convexa volatum;

propius puto ad lectionem traditam accedere:

cum redit a pelago ac movet in convexa volatum.

702 *hic nam detrusae in latebras procul Amphitrites*
704 . . . *perruperat.*
praepositio *in* delenda est, cf. p. 69.

1139 . . . *adque sub undis*
1140 *hic tenebris petit occidui vada caerula ponti*
et mox Oceano reparatur clarus eoo.

illud *tenebris* prorsus non intellegitur, *sub undis* abundat. Aratus scribit (616):

ὅν τινα τοῦτον ἄιστον ὑπουρανίων εἰδώλων
ἀμφότερον δύνοντα καὶ ἐξ ἑτέρης ἀνιόντα
πολλάκις αὐτονυχεὶ θηεύμεθα,

Cic. 402 *quem nocte extinctum atque exortum vidimus una,*
Germ. 629 *bis solet illa una caelo se ostendere nocte.*
ita apud Avienum restituendum erit:

. . . *adque sub unis*
1140 *hic tenebris petit occidui vada caerula ponti.*

numerus pluralis vocabuli *unus* cum pluralibus tantum nominibus, praecipue vero in sermone vulgari coniunctus esse videtur[1]).

1314—1321 *quid nunc nascentis suspectat* e. q. s.
1316 . . . *Orionis?*
curricula ut e. q. s.
1319 . . . *et tuto carbasa ponto.*
credo, ni desit e. q. s.

1) cf. Neue, Formenlehre II 275 sq.

scribendum et distinguendum est:

quid? nunc nascentis suspectat navita ponto
agmina prima Padi caelo tum fervere aperto
vicinasque faces rutili manet Orionis,
curricula ut solers vero mox indice discat
certa tenebrarum possitque fideliter astro
explorare notos et tuto carbasa ponto
credere. ni desit magnorum congrua cura,
prompta via est ipso cognoscere talia semper
praeceptore Iove e. q. s.

cf. p. 12 sq.

1366 *nam qui solem hiberna novem putat aethere volvi,*
ut lunae spatium redeat, vetus Harpalus, ipsam e. q. s.

scribendum et distinguendum est:

namque Solon hiberna novem putat aethera volvi,
ut lunae spatium redeat. vetus Harpalus ipsam
ocius in sedes momentaque prisca reducit.

cf. p. 67.

1369 *illius ad numeros prolixa decennia rursum*
adiecisse Meton Cecropea dicitur arte
insevitque animis.

codices tradunt: *insedit*, non bene Schrader scripsit: *insevit*. nam desideratur aut infinitivus *insevisse*, qui ut infinitivus *adiecisse* a verbo *dicitur* pendeat, aut verbum finitum *insedit*, quod verbo *dicitur* ut par additum sit. cum vero de illo infinitivo cogitari non possit, codicum lectionem restituemus:

inseditque animis.

1391 *saepe etenim quamquam tranquillae noctis amictu*
mitia protenti requiescant terga profundi.
doctus securam subducit ab aequore classem
navita et actaea retinet statione phaselum.

sententia, quae coniunctione *quamquam* instituitur (1391 sq.), prorsus non habet, unde pendeat. Aratus vero scribit (765):

πολλάκι γάρ καί τίς τε γαληναίῃ ὑπὸ νυκτί
νῆα περιστέλλει πεφοβημένος ἦρι θαλάσσης.

inde apparet distinctionem positam post versum 1392 esse delendam:

saepe etenim quamquam tranquillae noctis amictu
mitia protenti requiescant terga profundi,
doctus e. q. s.

1410 . . . *vis hoc cum fudit in auras*
venarum, occulte patulo praetexitur agro
insubiectum oculis terramque supernatat omnem:
uvida materies, quam cum calor ignicomantum
hausit stellarum, superas subducit in auras
et concreta diu conpingit nubila mundo.

Winterfeld (diss. p. 17) codicum lectionem spectans scribere proposuit *multaque materies* vel *multa materie.* sed si *uvida* (vel: *multaque*) *materies* subiectum est, a quo pendeat verbum *subducit,* primum non intellego, quomodo in sententia secundaria, quae coniunctione *cum* instituitur, obiectum pronomine relativo exprimi possit. deinde in sententia primaria *uvida materies* . . . *subducit* obiectum plane desideratur. apparet pronomen relativum *quam* a verbo *subducit* pendere, qua in sententia idem subiectum valet quod in sententia secundaria: *calor ignicomantum stellarum.* itaque totus locus hoc modo distinguendus erit:

1410 . . . *vis hoc cum fudit in auras*
venarum, occulte patulo praetexitur agro
insubiectum oculis, terramque supernatat omnem
uvida materies. quam, cum calor ignicomantum
(subaudiendum: *eam*) *hausit stellarum, superas subducit in auras*
et concreta diu conpingit nubila mundo.

1446 *Cynthia cum primum caelo nova cornua promit,*
cautus utrimque deam circumspice, namque revectae
nequaquam semper similis lux inbuit ortum,
sed species diversa trahit varioque notatur
formarum. primi cum surgit luminis igne,
tertia cum rutilat, cum maior sideris aethram

scandit et aerias quarta face luminat oras,
ingredientis erit plene tibi nuntia mensis.

illud *species vario notatur formarum* (1449 sq.) prorsus nihil est. Aratus scribit (779):

ἄλλοτε γάρ τ' ἄλλῃ μιν ἐπιγράφει ἕσπερος αἴγλῃ,
ἄλλοτε δ' ἀλλοῖαι μορφαὶ κερόωσι σελήνην
εὐθὺς ἀεξομένην, αἳ μὲν τρίτῃ αἳ δὲ τετάρτῃ.
τάων καὶ περὶ μηνὸς ἐφεσταότος κε πύθοιο.

inde apparet illud Avieni *primi cum surgit luminis igne* (*εὐθὺς ἀεξομένην*) non ad sequentia, sed ad antecedentia pertinere. *igne* igitur vocabulum cum adiectivo *vario* coniungendum erit, ita ut intellegatur: luna notatur vario igne formarum, cum primi luminis surgit. idem genetivus qualitatis occurrit in versibus:

1459 *luminis ista dehinc si crassior* (adde: *est*)[1]),
513 . . . *nam quanti luminis astra*
esse solent, e. q. s.

itaque totus hic locus hoc modo distinguendus erit:

Cynthia cum primum caelo nova cornua promit,
cautus utrimque deam circumspice; namque revectae
nequaquam semper similis lux inbuit ortum,
sed species diversa trahit varioque notatur
formarum, primi cum surgit luminis, igne,
tertia cum rutilat, cum maior sideris aethram
scandit et aerias quarta face luminat oras.
ingredientis erit plene tibi nuntia mensis.

1459 *luminis ista dehinc si crassior adque retunsis*
cornibus ingreditur, si quarti sideris ortu
percussi tenuem protendat corporis umbram,
imbribus au zephyris hebetabitur, arguet ultro
flabra noti aut pluvias.

codd.: *ortum*, Morel: *ortu*. in codicibus inter vocabula *percussi tenuem* legitur *ut*, quod Grotius delevit. illis in versibus duae sententiae condicionales leguntur, quarum alteram, quae

1) cf. infra ad hunc versum.

coniunctivo modo exprimitur, ab altera pendere editores voluerunt. hoc vero neque placet neque cum Arati versibus congruit, qui scribit (785):

. . . *παχίων δὲ καὶ ἀμβλείῃσι κεραίαις*
τέτρατον ἐκ τριτάτοιο φόως ἀμενηνὸν ἔχουσα
ἠὲ νότῳ ἀμβλύνετ' ἢ ὕδατος ἐγγὺς ἐόντος.

cum his versibus ea, quae in Avieni codicibus tradita sunt, nullo vocabulo mutato plane consentiunt, dummodo recte distinguantur; tantum quod Avienus versum 1461 satis pulchrum adiunxit. distinguendum vero erit:

luminis ista dehinc si crassior (*παχίων*) (adde: *est*), *adque retunsis*
1460 *cornibus ingreditur si quarti sideris ortum,*
percussi ut tenuem protendat corporis umbram,
imbribus au zephyris hebetabitur e. q. s.

illarum vero sententiarum condicionalium altera alteri ut par adiecta est, non subdita.

1473 *vis prolixa salum ciet, ocius omnia chauri*
marmora convolvent, fera verrent flabra profundum.

distinguendum est:

vis prolixa salum ciet ocius, omnia e. q. s.

cf. p. 89.

1499 *sed quae signa novo dederit nox tertia motu*
1500 *quartave, sustollat medios dum Cynthia vultus,*
durabunt caelo. medio quae edixerit ore
ignis in plenos, hinc in dispendia rursus
altera provisae signantur tempora lunae.

scribendum et distinguendum est:

sed quae signa novo dederit mox tertia motu
1500 *quartave, sustollat medios dum Cynthia vultus,*
durabunt caelo, medio quae dixerit ore,
ignis in plenos. hinc in dispendia e. q. s.

cf. p. 48.

1535 *si duo se lunae circumfudere, repente*
maxima vis pontum, vis verret maxima terras

maioresque dehinc agitabunt stagna procellae,
si trinus rutilum constrinxerit ambitus orbem.

vel ex Arati versibus 815 sq.

ταὶ δύο δ' ἂν χειμῶνι περιτροχάοιντο σελήνην,
μείζονα δ' ἂν χειμῶνα φέροι τριέλικτος ἀλωή,

intellegitur, distinguendum esse:

1535 *si duo se lunae circumfudere, repente*
maxima vis pontum, vis verret maxima terras;
maioresque dehinc agitabunt stagna procellae,
si trinus rutilum constrinxerit ambitus orbem.

1643 *circumfusa adeo si cingula nescia solvi*
servarint taetrae speciem torpentia molis.

scribendum est:

circumfusa deo si cingula e. s. q.

cf. p. 45.

1669 *saevus Riphaeis aquilo crepitabit ab oris.*

non bene Winterfeld (diss. p. 31, Beitr. p. 25) scribere voluit:

1668 *at regione noti si lucem stella senescat*
segnis, Riphaeis e. q. s.

cf. p. 58 sq.

1808 *at ne perruptis terrarum dorsa lacunis*
infodiant pecudes, si vasto viscera hiatu
1810 *discutiant terrae, veniet vis aethere toto*
dira procellarum, e. q. s.

Aratus scribit (1086):

μὴ δὲ λίην ὀρύχοιεν, ἐπεὶ μέγας οὐ κατὰ κόσμον
γίνεται οὔτε φυτοῖς χειμὼν φίλος οὔτ' ἀρότοισιν, e. q. s.

ita post Avieni vocabulum *pecudes* gravius distinguendum erit:

at ne perruptis terrarum dorsa lacunis
infodiant pecudes! si vasto e. q. s.

III 65 *at qua prima dies rutilo sustollitur ortu,*
aureus et tremulas late rubor inficit undas,
Eoum pelagus, freta dicunt Indica pandi.

pandi scripsit Wernsdorf, traditum est *ponti.* hanc codicum

lectionem retinendam esse, iam Breysig (in Mus. Rhen. LV p. 570) ostendit, qui distinguere voluit:

Eoum pelagus (adde: *est); freta dicunt Indica ponti.*

tamen gravior illa distinctio mihi delenda esse videtur, ita ut duo nomina illius maris iuxta posita legantur. nam non solum Dionysius dicit (37):

ἠῷον καλέουσι καὶ Ἰνδικὸν οἶδμα θαλάσσης,

sed etiam Priscianus, qui ab Avieno pendere videtur, vertit (46):

Eoumque vocant atque Indum nomine pontum.

asyndeton legitur etiam in Avieni versu II 1462

imbribus au zephyris hebetabitur, arguet ultro
flabra noti aut pluvias.

158 *donec harenosae se attollant aequore Syrtes;*
scribendum est:

donec harenosas attollant aequora Syrtes.

cf. p. 47.

184 sq. . . . *inlisum murmurat aequor,*
saepius et crebra spumescunt aequora rupe.

iteratio illa, quae continetur vocabulis *saepius* et *crebra rupe*, non placet; distinguendum erit:

. . . *inlisum murmurat aequor*
185 *saepius, et crebra spumescunt aequora rupe.*

204 . . . *sic pectus canduit ira,*
paelicis et tanto divam dolor extulit igni.

genetivum *paelicis* (quae est Io) apparet in sententia *tanto divam* (quae est Iuno) *dolor extulit igni* locum non habere, sed ad vocabulum *pectus* referendum esse; itaque distinguendum erit:

. . . *sic pectus canduit ira*
205 *paelicis, et tanto* e. q. s.

303 . . . *diros Nasamonas at inde*
aspice, quis e. q. s.

restituendum est:

. . . *durosque Nasamonas inde*
accipe, quis e. q. s.

cf. p. 33.

364 *trina loco frons est, sed laxior axe Bootis,*
365 *luce sub eoa constrictior, usque Syenen*
tenditur.

codd.: *latior*, Wernsdorf: *laxior*. Dionysius dicit (243):

εὐρὺ μὲν ἀμφ' ἀκτὰς βορεήτιδας,

Priscianus, qui ab Avieno pendere videtur, vertit (230):

lata quidem boreae sub litore tenditur oris.

bene apud Avienum traditum est *latior*.

794 *Ogyris inde salo promit caput, aspera rupes,*
Carmanis qua se pelagi procul invehit undas.

scribendum et distinguendum est:

Ogyris inde salo promit caput, aspera rupes
795 *Carmanidis qua se pelagi procul invehit undas.*

cf. p. 33.

1235 . . . *Parthi*
rura tenent, curvi nequicquam vomeris usu
sollicitanda sibi.

ed. pr.: *ne quicquam*, cod. Ambr.: *nequaq̃*, quod vocabulum hoc loco facilius intellegitur. deinde Avienus hoc vocabulum in usu habebat, occurrit enim praeterea quinquiens; illud vero semel tantum in versu dubio II 659 legitur. itaque hoc loco scribemus *nequaquam*.

1336 . . . *zephyri de partibus, Indus*
gurgitis occursu fit certae terminus orae.

ed. pr. et cod. Ortel.: *cessaet*; sed haec littera *t* facile ex vocabulo sequente *terminus* orta esse potest; cod. Ambr.: *cęsę*, Pithou: *certae*. Dionysius vero dicit (1132):

ἀλλά τοι ἑσπερίοις μὲν ὁμούριος ὕδασιν Ἰνδός
γαῖαν ἀποτμήγει.

Dionysii *γαῖαν ἀποτμήγει* satis accurate vertitur Avieni vocabulis traditis *fit caesae terminus orae.* hoc vero restituendum erit.

1359 *sed circum Gangen regio est devota Lyaeo,*
perpetuique sacri talis narratur origo.

iam postquam de Bacchi cultus origine narravit, pergit Avienus:

1374 *ergo et Nysaeos discit gens rite recessus,*
et stata sollicito deducunt orgia ritu.

codd.: *dixit,* Pithou: *discit.* sed illud *discit* . . . *recessus* nihil est, codicum lectio recte se habet; nam Dionysius quoque scripsit (1152):

ἔστι δέ τις θηητὸς ἐυρρείτην παρὰ Γάγγην
χῶρος τιμήεις τε καὶ ἱερός, e. q. s.

1159 *τοὔνεκα Νυσαίην μὲν ἐφημίξαντο κέλευθον,*
κόσμῳ δ' ἐστήσαντο σὺν υἱάσιν ὄργια πάντα.

praeterea intellegitur, non post versum Avieni 1360, sed ante versum 1359 novam partem significandam esse.

CONSPECTVS LIBELLI.

VITA.

Ernestus Reuter Bonnae d. XIX Mart. anni MDCCCLXXXVI parentibus Ioanne et Maria e gente Hentschel natus catholicae fidei addictus sum. d. II Mart. anni MCMIV in gymnasio Bonnensi municipali testimonium maturitatis adeptus sum. deinde ut in studium philologiae classicae et germanicae incumberem, universitatem Bonnensem per aestatem anni MCMIV et hiemem MCMIV—V, Friburgensem per aestatem MCMV, Berolinensem per hiemem MCMV—VI, iterum Bonnensem inde ab aestate MCMVI frequentavi. examen rigorosum absolvi d. XIX Mai. anni MCMIX.

Docuerunt me imprimis viri doctissimi: Friburgenses Finke, Kluge, Lommatzsch, Thurneysen; Berolinenses Diels, Eduardus Meyer, Roethe, Ericus Schmidt, Vahlen, de Wilamowitz; Bonnenses Bickel, Brinkmann, Buecheler, Drescher, Dyroff, Elter, Erdmann, Franck, Litzmann, Loeschcke, Marx, Nissen, Ritter, Aloysius Schulte, Schultz, Solmsen, Wilmanns. in seminario germanico me instruxerunt Roethe et Wilmanns, in philologico Brinkmann, Elter, Marx. quibus omnibus gratias ago summas, praecipue vero Friderico Marx, qui optime de me meritus ad has quaestiones instituendas me adhortatus est.